

296247

Poem of the English

area
Sibiu

Joannis Binder. 4584 296247

81

247

91

NOVA DACIA

EX
Probatis Scriptoribus Deprompta
HONORIBUS

Reverendissimi Dom. Dom.

JOANNIS KASTAL

ABBATIS B. M. V. de SALAMON

Capituli Cathedralis Ecclesiae Carolino-Albensis
PRÆPOSITI MAJORIS, CANONICI,

ET PER TRANSILVANIAM

IN SPIRITALIBUS VICARI ET CAUSARUM

AUDITORIS GENERALIS

PROTO-NOTARII APOSTOLICI &c.

D I C A T A

Dum

In Alma ac Regio-Principali Universitate

CLAUDIO POLITANA S. J.

Nob. ac Eruditus D. JOANNES KASTALIDES

Hung. Tran. Theologæ Polemicæ Audit. Controv.

Fidei de Ecclesia Christi Triumphantे

publicē propugnaret.

S U B

R. P. FRANCISCO FASCHING

& Soc. JESU AA. LL. & Philosophiæ Do-

ctorē ac Controv. Fidei Professore

ORDINARIO.

Anno Temporis Novissimi M. DCC. XLIII.

Claudiopoli Transilv. Typ. Acad. S. J. per Mich: Beeskerejki:

BIBLIOTECA „ASTRA“

SIBIU

1998

BIBLIOTECA
4374
SIBIU

367-031

247



REVERENDISSIME
DOMINE DOMINE
MECOENAS
GRATIOSISSIME !

Mea Vetus observan-
tia, jure quodam ne-
cessitudinis sibi postulare vi-
sa est, ut meum, erga Te
cultum palam facerem : Et primas
Novae Daciae lucubrations, Tu fre-
tus Benignitate, Tuis Honoribus de-
dicarem ; quo amplius illae, à Tui
Nominis splendore illustrentur. Ne
verò speciosius, quam verius loquar,
Tuam suauissimam Morum Modestiam
interpello ; ut cum pro Divina Glo-
ria pro-

ria propaganda, pro Avitæ Religio-
nis incremento, Proximorumque sa-
lute promovenda, intaminatam Tu-
am Vitam Cælo litaveris: De iis mi-
hi paucis profari liceat: liceat Aposto-
licorum laborum Tuorum monumen-
ta Dacicis Fastis inserere, quorum
adminiculo, Tuum politioris litera-
turæ Studium, Tua Virtus, Tuusque
alienæ salutis Zelus, tam grande Tu-
is Meritis, imò Tibi, Honoris Do-
micum posuerunt.

Pace itaque Tua, Mecœnas Reve-
rendissime, hoc Honoratum virtutum
Tuarum Domicilium subeo, in cuius
vestibulo, nunc meas inter cogitatio-
nes, geminos Sapientiæ Tuæ Colossoſ
in altum educo: unius in apice erudi-
tas Philosophici Tui Magisterii laure-
as, Artium scuta ac Genios: alteri-
us in culmine, à propugnata publicè
per, Te in Viennensi Lyceo Theologia
debellata tot damnatarum opinionum
monstra, Ignorantiæ ac Impietatis ex-
uvias statuo. Tuam deinde, radit-
antem à tanta Virtutum ac Scientia-
rum luce, fastigio Partæ impono effi-
giem, cum adjecta consularis vatis

epigraphe: Hunc similem, quæ protulit ætas? Hinc insuper atque hinc,
Abbatiale Pedum, Mitram, Coruscas aurò gemmisque Cruces, cunctaque sacra Potes tatis Tuæ insignia,
Tuarum Dignitatum Meritorumque monumenta, circumquaque appendo:
ut omnes cognoscant, quantas animo
Virtutes possideas, quam numero sa Apostolico Tuo Zelo lucra, sexcentæ
animarum spolia, totque ab errorum
caligine retractos, atque ad Orthodoxæ
Fidei lumen, operoso Tuo labore ad-
ductos, in Ecclesiæ gremium congesse-
ris. Beatus enim verò dies ille, ut
Triumphanti Ecclesiæ latus, ita Mi-
litanti in terris salutaris! quò in Ko-
roudiensi Parœcia Tua, quinque si-
mul Familias, ab Ariana labe, sa-
cro latice tinctas expiasti, verae Reli-
gioni adunasti.

Quid mirum deinde? si Zelus iste
Tuus, cuius splendor occasum nescit,
ubivis & semper luceat: Quid inquam
mirum? si bina jam successivè Dacicæ
Ecclesiæ suprema Capita, Apostolici
Antifites, Te sibi Generalem in Spi-
ritualibus Causis Vicarium subrogā-
rint:

rint: Ut nempe, qui Te legent, videant omnes, quantum in Te Religio fulcrum: quantum in Te, qui sine errore, sive malitia in salutis discrimen prolapsi, beatæ Spei Anchorā: quantum Eruditæ Mecænatem: egeni Patrem: rei Vindicem, miseri Asylam habent! Religio certè Tua in Deum, quā mirum in modum emines, & Ecclesiæ Dei per Provinciam, seu sacra apparatu, seu novâ Fabricâ, ad omnem nitorem locupletare gestis, Tuarum Virtutum Tuæque liberalitatis est testis locuples; sed & Pietas illa, quæ tum è vultu Tuo, dum ad Aram operaris: tum è Vita, moribusque Tuis integerrimis promicat, adeò apud omnes Tuam deprædicat Sanditionam, ut ne malevolus quidem, quod in Te carpat, livor reperiatur. Testes denique sunt, illustria illa Comitatis Tuæ Decora, quæ summi juxta ac infimi venerantur, Boni amant, & timent mali; ut cùm omnibus Te facilem præbeas, nemo se Tibi difficultem exhibeat. Taceo reliqua sua-
vissimæ Indolis Tuæ Ornamenta, Tui Honoris notas, quas velut Meridianæ

Solis

*Solis radios, in Crystallinam Vitæ Tuæ
lenticulam colligere laboravi, ut Te
in puncto Aspectabilem exhiberem.
Jam quod reliquum est, Vota adjic-
cio, ut sospes diu viuas Religioni,
Patriæ, Literis! eāmque etatem su-
peres, que Tuarum sit longum se-
nium Dignatum.*

*REVERENDISSIMI
DOMINI DOMINI
MECOENATIS
MUNIFICENTISSIMI*

Devinctissimus

Idem qui suprà.

THESES
THEOLOGIÆ POLEMICÆ
DE
ECCLESIA CHRISTI IN COELIS
TRIUMPHANTE.

I.
Eccllesia Christi Triumphans, est Cœtus Sanctorum, qui cum Christo in Cœlis triumphat. Christus cultu Latræ est adorandus. Angeli & Sancti Cultu Duliæ meritò ac licitè coli possunt.

II.
Ab exordio Christianitatis in Ecclesia Dei semper creditum est: Sanctos, sive Angelos sive homines, piè & utiliter invocari posse; Non ut ex se, Nobis aliquid conferant; sed ut pro nobis orent, & per Christum, quod petimus, impetrarent.

III.
Ex Verbo Dei Scripto & non Scripto constat, Imagines Dei, Deiparæ ac Sanctorum, non quidem materialiter ac physicè; sed formaliter spectatas, licitè ac rectè ad Religiosum cultum & venerationem à Christi Fidelibus proponi.

IV.

IV.

Sacras Sāctorum Reliquias, ut
pote eorum Corpora aut vestes &
his similia, ex testimonio tūm Vete-
ris tūm Novi Testamenti: ex Tradi-
tione Apostolica, & perpetua Eccle-
siæ praxi, religioso cultu, Christi
Fidelibus venerari licet ac decet.

V.

Vera Crux Christi, aut alia, si re-
latè ad Christum sumatur, religiosa
adoratione honoranda est.

VI.

Christianæ Fidei dogma est: existe-
re Purgatorium, sive talem locum, in
quo defunctorum Justorū animæ, vel
igne, vel aliis pœnis purgantur; do-
nec ab omni culpæ & pœnæ reatu
emundatæ, Cœlum ingredi valeant.

VII.

Existentes in Purgatorio Justorum
animas, nostris suffragiis omnino
juvari; quatenus nempe Deus intui-
tu bonorum Operum, iis pœnam
vel mitigat, vel abbreviat, vel ple-
nè condonat, cæteroquin ab iis su-
stinendam, donec per fatispassionem
suam ab omni reatu culpæ & pœnæ
emundentur.

O. A. M. D. G.

NOVA DACIA
Ex
Probatis Scriptoribus de-
prompta.

Ingressus

Projectis in paginam Veteris Daciae
lineamentis, quibus modica lux
imagini Transilvaniæ accessit; red-
eo nunc retractâ narratione, ad ubi-
riorem Nobilissimi Transilvaniæ Princi-
patûs descriptionem.

S.I.

Dacia Mediterranea,

Principatus Transilvaniae & ejus
Populi.

Transilvania, quæ hodie vix trientem Veteris Daciæ implet, suum etymon accepit à Silvis & Montium jugis, quibus includitur. Ab Occidente habet Hungariam : à Septentrione minorem Russiam : ab Ortu Moldæ-

1

viam:

viam : à Meridie Valachiam Excurrit à *Porta Ferrea* in latitudinem *Ghēmes* versus in *Csik* triginta : in longitudinem verò à *Rubra Turri* , quæ in confiniis Transilvaniæ sita est , usque Castrum *Kővár* Hungariæ conterminum , octo supera triginta milliariis germanicis. Ejus partitio in varios Comitatus designatur ab Hunnis sub Arnulpho Imperatore , cuius lib. i. Veteris Daciæ §. V. meminimus. Eandem Sacræ Hungarorum Coronæ D. Rex Stephanus anno 1002. viator adjecit ; & jure perpetuo inscripsit. Tota hæc Provincia in tres præcipuas Nationes herciscitur , quæ diversis cam inter se terris incolunt , & multùm sanè moribus ac legibus dissident ; tres hæ nationes , Hungari nimirum , Siculi , & Saxones , totidem Provinciales status constituunt , & jure urando firmatam inter se unionem profitentur. Arctissima hæc concordia , in sex potissimum legibus (a) quas fundamentales esse volunt , & in Betleniano Diplomate stabilita consistit , ad cum ferè modum , si extera domesticis componere licet , quō Imperium Romano - Germanicum Bullâ Aureâ , Imperatoriis Capitulationibus , Religio-

ſe ac

(a) Approbatar. Conſtit. parte 3. tit. I. a. I.

fæ ac profanæ Pacis constitutionibus: aut
ut Galliarum Gentes, Salicâ lege gesti-
unt, perennântque. Adhæc tribus his
Nationibus prolixo numero accedunt
Germanorum propè 15 millia: Valacho-
rum ultra centum sexaginta milia: Ar-
menorum duodecim millia; demum Bul-
gari, Servii, Græci, Rascii, Anabapti-
stæ, Judæi, & infima (ut Historicci eam
compellant) fæx Zingarorum ultra mo-
dum numerosa, sparsim hanc Provinci-
am insident.

Hungari pingviorem terram incolunt,
quorum Optimates ac primi Nobiles,
suis in possessionibus vitam traducere,
in more habent. Ex his Vajvodæ ac
Principes, primique in Regno Magistra-
tus creabantur; sed quod ad externum
quoque cultum ac pompam conferat,
cæteris civibus vivunt splendidius. Et
quoniam Regna crebrò & Imperia mu-
tationibus sunt obnoxia accidente Poë-
tæ: *sic omni: verti cernimus, atque alias
assumere pondera gentes, concidere has,* Trans-
silvania quoque variatis temporum pe-
riodis feliciori fato, si divinum nontoi-
cum intelligas, cum populis suis assur-
rexit; nam anno Christi 1687 excusso
Turcicæ servitutis jugo, ad partes Chri-

rianitatis atque Regem Hungariæ rufum rediit. Amplius est illud , quod Præpotenti Domui Austriacæ , Hæreditario jure ad utrumque sexum extenso , ab anno 1722. sub icitur. Fortunato sàne tot bellorum eventu , ad Dominum rediit , pro qua velut pro Latio potentissima duo Europæ Imperia , pluribus seculis , inter se commissa sunt , meliore tandem Austriacis causâ triumphantibus. Senæ ut plurimum Cæsarianæ Legiones sub peritissimo semper Belliduce , ad custodiam Provinciæ pervigilant , quæ stativa sua in Fræsiis , Arcibus , oppidis ac pagis habent , Equitatu crebrius in campis sub papilionibus æstivante.

Constitutum est insuper Excelsum Provinciale Gubernium , quod duodenis Consiliariis , ac uno , qui præsit , Gubernatore definitur : omnes hi è tribus Statibus , totidemque hactenus receptionibus ab ipso Principe delecti renunciantur , qui eò ut plurimum sua consilia ac mentem pro foro & Curia advertunt , ut in commune Patriæ commodum , & Principis illæsa undequaque sit dignitas & diu desiderata à multis retrò sanè annis , pleno veniant alveo , felicitérque perennent Reip. ac Religionis incrementa.

Sicu-

Siculi Jassorum reliquiae , ut citato
 §. V. Veteris Daciae retulimus , & de eo-
 rum origine fusè disceptavimus , sunt
 Hungarum nihilo inferiores . Moldavia
 versus præruptos rupibus Provinciæ fines
 posident , de sua libertate amplius glo-
 riantur , quam eâ fruantur ; paucis enim
 ab hinc annis , nemo inter Siculos igno-
 bilis audiit , quamvis aratro novaret so-
 lum , aut sub patula fago , caprini age-
 ret Tityrum gregis . Ambæ hæ nationes
 junctis viribus , nonaginta armatorum
 millia olim suppeditabant . Neque igno-
 tum est , quām immania à pluribus secu-
 lis hæc Regio ex assiduis hostium incu-
 sionibus pertulerit pericula , crebrò licet
 hostiles acies , ut Reischerdorffius scri-
 bit , ingenti earum clade à se devictas ,
 cæsasque propulsaverit . Addit Flori-
 mundus Ræmondus , Regionem hanc à
 suo situ esse munitissimam . & Belli offici-
 nam , quemadmodum id olim Xenophon
 de Epheso edixerat ; Transilvania enim
 retrò lapsis seculis , Chriianorum ac
 Turcarum Martius campus effecta , armo-
 rum juxta , ac omnium calamitatum sedem
 Marti ac Tyrannidi posuit . Hungari hic
 Nobilium , Saxones Civium , Siculi au-
 tem Milium nomen propugnant . De

his decantatum est illud : *Atque Pharetrati Scythicis de pñibus Hanni.* Hi Siculi Martem olim & Herculem colebant, quibus præcipue ad fontes sacra faciebant.

Triplicem hanc Nationem , Transilvaniae scutum notat ; quod Gabriel Bathorius crucem perosus , mutilando immutavit ; Transilvani enim ab ætate D. Stephani Regis , veluti Hungari , in Provinciali scuto , Crucis signo utebantur , cui Aquila dimidiata & Coronata , anno 1612 . substituta est Ea ad Hungaros spectat , qui Principum suorum armis , plures Hungariae Comitatus sibi subjecerant , ob quod & ipsa Transilvania partium Regni Hungariae Domina appellabatur : Brachium ferro armatum , Coronam , Cor , & Caput spiculo transverberans , Siculo rum fortitudinem notat ; quibus idem Bathorius solem & dimidiat lunam addidit Septem in super Turres , typus sunt Transilvano-Saxonum , designantque Septem Castra Scythica , verius Septem Saxonicales Civitates , quarum nomina & Topographiam infra dabimus .

Hungaris & Siculis tres usu receptæ sunt Religiones : Romano - Catholica , Calviniana , & Arii , quam moderni Ariani Unitariam vocant , hæc inimica Christianitati

nitati opinio, cum damnato à primitiva Ecclesia crevit Cerintho, Ebione, Ario, & negatâ Christi Deitate & Spiritus Sancti Personalitate, Deum ut essentiâ, ita Personâ unum esse adversus universum orbem Christianum hallucinatur. Fidem Romano-Catholicam prima Nobilitas ac vetustissimæ ut plurimum Familia profertur: Unitariam plebs propè quinquaginta millium animarum; Reformatam verò à Calvinô, etiam nonnulli Nobiles iisque opulenti, quorum ne unicus Lutherô adhæret. Siculi potiore sui parte sunt Catholici: Saxones dogma Lutheranum initio complexi, puta Augustanam Confessionem, ejus Apologiam, Formulam concordiae, & nonnullos Schmalcaldicos articulos; subinde eorum quidam dogmata Calixti, & Pietistarum opiniones amplexabantur. De gente hac, annis ab hinc ferè 80 in libello suo, Valentinus Frank Saxonice nationis Comes & Cibiniensis Regius Prætor ita scripsit: *Saxoni Transilvaniaversantur Pietistarum fanaticorum opiniones: Cæterum quotidianus novas amantium opiniones lapsus est, ut qui semel à veritate desciverint, in ea postliminio proruant, quæ paulò antè damnabant.*

Ex quoniam de adventu Hungarorum & Siculorum in Transilvaniam, atque cum primis de Attila, magna harum Nationum gloria, ex raris vetustisque Historicis in Veteri Dacia brevibus multa edis serui, cuius formidine non modò victi Veneti, qui adusque Maris littora in Neptuni præsidium confugere: sed Argentina etiam ensibus Attilæ concisa, ne infaustas rursum belli subiret vices, sumptuosissimis se se munierat propugnaculis, quibus quidem tutò inscripserat illud: *eniat nunc Attila!* utinam tamen Attilæ, anno 1681. occupanda, adjecisset Ludovicum XIV. Franciæ Regem, qui tam validis incinctam muris sine sanguine accepit; idcirco Transilvano-Saxonum hoc loco ortum, ex multiplici scriptorum sensu, qui eorum adventum in hanc plagam accuratiùs investigant, paucò altius referemus.

Prima Historicorum opinio, Gothis tribuit horum Saxonum originem, cui Rhenanus l. 1. rerum German. subscribe re videtur, ea potissimum de causa, quod dum Cornelius Tacitus Historiarum l. 2. author sit: *Gothæs Danuvium ultra, intra flumina Mirem & Cusum, regnavisse* idcirco perperam conjectat eos ab his in Daciam

Daciam descendisse. Verba sunt Rhena-
ni: *binc cognoscere licebit antiquitatem se-
piem-Castrensum Saxonum, qui tot seculis,
etiam antequam in Provinciam à Trajana
redigeretur Dacia, tractum eum incoluerint.*
Sed Transilvano-Saxones antiquis Gothis
nihil debere, vel ex eo constat, quod
conjecturæ suæ Patroni, nihil minus
monstrent, quam quomodo & quando
in Transilvaniam Saxones concesserint?
quod enim suam illi originem à Gothis,
aut si malumus à Sacis Asiae populis ha-
beant, ut Carion par. 2. Chronicci scri-
bit, nūl suffragatur adversæ sententiæ:
longè siquidem à vero alienum videtur,
tantam Gothorum multitudinem, quan-
tam Saxonici fundi pomœria, in medi-
terranea Dacia cœpiunt, remanere po-
tuisse; cum clarorum signatum sit Hito-
ricorum testimonio, Gothos sive Dacos
primum ab Attila, deinde à Gepidarum
populis, ac iterum à vasta Hunno-Ava-
rum potentia penitus excisos fuisse. un-
de ab eo tempore, Gothicæ memoria,
hic loci tota evanuit. Vide Nicolai O-
lahi Attilam c. 7. & Joan. Aventinum
l. 2 de Rom. Imperatoribus.

Caterum monet Tacitus lib. de situ
moriibus, & populis Germaniæ: *Gotho-*

nes nullatenus pro *Gothis* esse accipie-
dos, utpote trans *Lygios* locatos, quos
Plinius *Guttunes* appellat. Sed neque
ab iis *Transilvano-Saxones* descendunt,
quos ex *Eutropio* in *Veteri Dacia* § I.
atrigimus. *Taiphali* enim, *Tervingi*,
Victophali, de quibus *Mamertinus Pa-*
negyricus, itemque alibi inquit: *Tervigi*
pars alia Gothorum adjuncta manu Taipha-
torum, adversum Vandulos & pedesque con-
curreunt &c. utpote *Daciæ* populi, mul-
tis seculis prius, ac *Saxones* in *Dacia*
visi, funditus excisi sint. Commodo
hic castigari potest locus *Capitolini*, in
vita *M. Antonini*, ubi in enumeratio-
ne gentium, quæ *Marcomannico* bello
nomen dederant, legitur: *Et Burei, hi*
aliisque cum Victuali Sosches. Tu lege: &
Burri, Taiphaliique cum Victophalis *Dac-*
iae nimirum populis, dudum sublati,
& ne osse quidem integro, ad ea secu-
la relieto, ex quo, ingressi in *Transilva-*
niam *Saxones*, velut *Cadmæa* pubes
vitam haurire potuissent.

Altera opinio, cuius authores sunt
plurimi, censet *Saxones* intrasse in *Transi-*
lvaniam sub *Carolo Imperatore*, qui
ob rerum à se gestarum gloriae, cogno-
men *Magni* habuit. Optimus hic atque
ortho-

orthodoxus Cæsar, triginta tres annos bello perdomitos. Saxones, è patriis sedibus abstractos, & variis provinciis immisos, fertur Transilvaniæ etiam inspersisse, ne ullum deinceps bellum moliri possent. Verum hæc migratio Saxonica gentis in Daciam, à Carolo Magno facta, apud ejus ætatis Historicos non reperitur; bene verò de decem milibus Saxonum cum uxoribus ac liberis, in Germaniam inferiorem, sive Flandriam & Brabantiam, annis aliquot ante victoriæ Hunnicam, migrare jussis. Et quomodo poterat Carolus magnus tutò colonias mittere in hosticum, ubi stabiliis juris nihil habuit? Progressus ille quidem est captâ Budâ, cum victore exercitu per Jazyges Metanastas, atque etiam aliquam Dacie partem, quâ si forsan occasione, Saxones in Dacia collocavit, ii protectò pari fato, cum Gothis, ut supra meminimus, repetentibus Daciam Hunnis, sub Arnulpho Imperatore, interimendi erant. Incredibile insuper est, ab octavo seculo, in quo laudatus Imperator bellum gessit, usque ad duodecimum, Saxones istos, nullius hominis memoriam subiisse.

Tertia

C. Rhei. & R. G. m. l. z. & L. z. de migrat. gent.

Tertia assertio, Saxonum adventum in Transilvaniam, refert ad tempora Geylae II. Hungariae Regis, in qua non quæritur de particulari aliqua Teutonici sanguinis familia, sed de toto populo Transilvano-Saxonico, qui nempe is, & quando in Daciam concesserit? certum quidem est, quosdam Alemannos, adhuc à Geyla I. e Germania accitos, ex quibus Geylae filius Stephanus Sanctus, adversus rebelles & Cupam, exercitui suo Vencellum præfecit. Constat etiam ex Thuróczio, Hermannum Norimbergensem Patricium, D. Stephani Hungariae Regis, cum Gisela nuptias celebraturi, Aulam secutum, atque cupidine lustrandæ Transilvaniae incensum, antiqua traditione hic loci domum fundâsse, Zeughoff hodie vulgo dictam; nequedum tamen eâ erant tunc Teutones multitudine, ut Remp. constituere possent: longo itaque post intervallo, cum Christiani in Palæstina Saracenico bello occupati, captâ Antiochiâ, ipsam quoque Hierosolymam felici virtute Godefredi Lotharingiae Ducis, qui primus Urbis murum concenderat, expugnâssent, Regnumque Hierosolymitanum stabilivissent: in Hungaria quoque, sub Geyla II. Rego,

Iege, sedatis vicinorum motibus, nihil
 ad publicam tranquillitatem & usum am-
 pius defuit, quam ut inculta & incolis
 vacua loca, ob præteriorum injuriam
 temporum, aliis, iisque cultioribus,
 ac mechanicarum gnaris artium, quibus
 Hungari bello dediti, prorsus carebant,
 adlectis multiplici promissione, & bo-
 nitate agrorum populis, vasta illarum
 terrarum spatia implerentur. Providus
 itaque Rex, malo huic medelam alatu-
 rus, numerosos ex Germania artifices
 excivit, ac inter eos quidem Saxones,
 in exhaustam mortalibus Transilvaniam
 deduxit, quos iis, quibus nunc insident
 locis, clementissime donavit. Ad eum
 planè modum, quo ab annis aliquot mul-
 ta Svevorum ac Franconum ex Germania
 cum familiis suis millia, secundo Danu-
 bio in Hungariam hodiéque defluunt,
 novásque in Hungaria, ad Szattmar-
 num, Peñi Varadinum & Belgradum,
 Temesiāmque Colonias faciunt. Hanc
 ergo de ortu Transilvano-Saxonum sen-
 tentiam nos ipsi amplectimur, tūm quia
 graves id affirmant Scriptores, nimirum:
 Nicolaus Istvanius Regni quondam Hun-
 gariæ Pro-Palatinus, & Caspar Ens, Tra-
 Etatu de Regibus Hungariæ; tum quia
 publi-

publicam sequimur fidem ; & authentica Regum testimonia , quæ etiamnum Ci- binii in urbico Archivo asservantur Verba Privilegii ab Andrea II. Hungariæ Re- ge , Cognomento Hierosolymitano , Sa- xonibus donati ; tam sunt clara , ut al- sensum apud omnes facile mereantur : sic porro habent : *Accedentes fideles Nostri hospites Teutonici Ultraſilvani universi ad pedes Majestatis Nostre humiliter Nobis con- querentes , suā querimonidā suppliciter No- bis monstrave unt , quod penitus suā liber- tate , quā vocati fuerant , à piissimo Rege Geyſa Avo Nostro excidissent.* Quo qui- dem fundamentali privilegio , etiam ter- mini fundi Saxonici definiuntur ; nimi- rum : à rivo Váras unde Szasz Város , usque in Boralib cum terra Sæbus sive Szasz- sebes , & terra Daraus sive Drâz in fini- bus Siculiæ , & terra Siculorum usque ad Silvam Blaccorum & Bislenorum , sive Silvosos montes Valachiæ . Ita testantur metales Litteræ originales , tum verò nonnullorum Transilvaniæ Principum co- dicilli territoriales , in Curiis civium af- servati . Accedit nostræ sententiæ , quod à vetustissimis temporibus , per continu- am annorum seriem , usque ad nostram ætatem , Chronologi hunc ingressum Sa- xonum

xonum ad A. C. 1142. alii ad A. C. 1145.
 annotârint, qui anni etiam in Geysæ II.
 tempora incidunt, additis singularum
 Civitatum initiis. Nec est, quod aliquis
 miretur, eos in adducto privilegio ho-
 spites vocari; hospites enim sunt, quia
 aliunde accessiti: Teutones vero, quia
 cum Germanis & Saxonibus in Saxonia
 Germanica habitantibus, communem Pa-
 trem Tuisconem agnoscunt: communem
 juris-dicundi regendique formam profi-
 tentur: imò communi cum illis scriptu-
 râ, idiomate à Vestphalica dialecto pa-
 rùm discrepante utuntur. Atque si ve-
 rum dicere fas sit, genus est hominum
 laboris patientissimum; idcirco cæteris
 sunt locupletiores, inque sua lucra val-
 de oculati. His, primi Reges Hungariæ,
 magno suo auctoramento, pacis æquè
 ac belli tempore usi sunt: potissimum
 adversus Tartaros, quos Privilegia quæ-
 dam *Turcos* vocant, cuius rei præcla-
 rum testimonium Archivum Cibiniense
 exhibet, uti & elogium Nationali sigillo
 majori inscriptum: *Ad retinendam Coro-
 nam.* Saxones hi, ad expeditionem bel-
 licam certum armatorum numerum sup-
 peditare tenebantur, intra Regnum
 quidem, si Regia Maestas vel in perso-
 na vel

na vel per Vicarium suum expeditioni præfuerit, quingentos: extra limites Regni, centum.

Ratio administrandi justitiam, est Aristocratico-Democratica, Superior Magistratus, cui præcipuè hæc cura incumbit, sunt Judices Nationis sive Primarii, sive Regii, Nationis Comite Præsidente, remoto judicio & imperio Vajvodali olim solius Regii Judicis Cibiniensis judicio suberant, juxta tenorem privilegij Ann 124 emanati: verba Andreæ Regis sunt: *Saxones nemo judicet, nisi Nos, & Com s Cibiniensis.* Curam Oeconomiaæ Consules exercent, aut ubi illi desunt, Judices vel Villici: his tamen Consul Cibiniensis præst, utpote totius Oeconomiaæ Rector. Habent præterea Saxonicae Nationis Judices, quorum septem numerantur, varia bona nobilitaria, ut plurimum Romano-Catholicis eorumque Clero crepta, & hæc vel communia, vel particularia; communia sunt, quæ Judicio Magistratûs Cibiniensis subsunt, cætera Cibiniensium, vel Coronensium vel Bistricziensium aut Sabesensium speciale dominium a noscunt; communes tamen possessiones particulari privilegio Saxonicae Universitati, id est, fundo Regio sunt

gio sunt adscriptæ. Vocantur autem Saxonæ fundus Regius, quia ad Sacram Hungariæ Coronam pertinent, suntque ejus peculium ac Regibus fiscales, ut ex Ladislai Decret. 7. Art 3. Anni 1514. luculenter constat. Ad extremum, testimoniæ illam de ortu Saxonum in Dacia Narrationem apud Kircherum (a) signatam, de Hamelensium pueris ab Aulendo Mago per subterraneos specus ed abductis, inter fabulas referimus; nisi quispiam fortasse eorum Scriptorum, infantibus illis in Transilvaniam migrantibus, per obscuros tot terrarum tractus facem prætulerit.

Valachi Transilvani, olim Bubaci dicti, eorum familiæ, Romanarum Coloniæ sunt reliquiae, ut communis fert opinio; E veterum enim Scriptorum monumentis liquet, triginta millia Rom. Colonorum ad has Daciæ partes à Trajanò deducta; Hinc semet adhucdum Romanos appellant, et si nihil Romanæ indolis in eis videas; ajunt enim: *sie Noi sentem Rumeni: Noi sentem di sange Romuna, etiam nos sumus Romani: Nos sumus de sanguine Romano.* De horum denominazione Æneas Sylvius, Europæ c. 2. ita

B

scribit:

scribit: *Colonia Romana eò deducta, Duce quodam Flacco, à quo Flavia (aliis Flaciana) nuncupata, exin longo temporis tractu, corrupto ut sit vocabulo Vlachia dicta, & pro Flaccis Vlachi appellati.* Hunc sequitur Bonfinius. Aliis tamen non à Flacco, sed à Moscorum fluvio *Volga*, Volgachi, mutatis subinde litteris, Vlachi dicti sunt. Tractu temporis diffuderunt semet non solum in Transilvaniam, sed in vicinam quoque Hungariam; sub Ludovico enim I. Rege Hungariæ, cum Duce suo Bogdan in Moldavia consedere, & quotannis stata Hungariæ Regibus stipendia persolvebant. Bellorum postea opportunitate aut certè sponteâ migratione in Thessaliam planè, ad montem Pindum usque, & montes Bosniæ semet propagarunt. Leonicus 1. 2. Hist. tradit: *Pindum montem Vlachis incolunt, quibus eadem cum Dacis est lingua, nec quicquam à Dacis, qui Istrum incolunt, distare cognoscuntur.* P. Szentivanius addit: hos Vlachos fuisse postmodum à Græcis etiam Bulgaros, ac Montanos Bosnenses appellatos. Porro ii Vlachi, qui Bosniæ, Rasciæ, ac Croatiae montibus adhærent, cùm nullum Rom. linguae vestigium retineant, re ipsâ Vlachi

lachi non sunt; sed duntaxat ita denominantur ex commissione Valachorum partes illas contingentium. Sunt qui eos à Pastoribus montana Bosniæ habitantibus descendere censeant; Hi enim Mladino Dalmatiæ, Croatiæ, & Bosniæ Bano, cum militaria servitia præstitissent, ad plana Croatiæ migrare, ac Croatis immixti, agros colere permissi sunt. Multiplicati subinde, Maritimorum Civitatum agros infestabant, ac tandem orâ Maris Dalmatici occupatâ, quam etiamnum possident, à Slavis atque Dalmatis Morlacbi, quasi Marini-Valachi nuncupantur.

Sed in Transilvaniam revertamur, post originem etiam Mores Valachorum exposituri. Gens hæc soli nunc nata servituti, nihil ferme aliud est, quam Davorum turba, ut non temerè veterum Davorum terras unâ cum fortuna occupasse videatur. Non illi oppida, non patentes campos, sed gurgustiola duntaxat mapaliaque in Montium faucibus, si paucos excipias, habitant. De his ante seculum ita scripsit Reischerdorffius. *Genus hominum esse durissimum, nec nisi armamentis ac pecoribus præficiendum: plerumque ex furtivo animalium abiegetu se alere: pi-*

losis caprarum amiciri pellibus, pectore semper aperto: Equos promiscue viri fæminæque absque Stragulis equitant: humanis legibus ægrè obsequuntur. Ipsa experientia nos docuit, expiationem conscientiæ eos ut plurimùm in abstinentia à carnibus collocare, suorum Poparum precationibus tantùm tribuere, ut sibi firmiter persuadeant, eorum precibus è flammis damnatorum animas vitâ functorum liberari; has ergo precationes, viduæ locupletiores, ære aut pecore à Popis licitantur, quos observavimus, maximè in Turcica Valachia, pro Tribunali conscientiæ pœnitentibus in expiationem criminum, certam terræ partem, cibi locò vorandam decernere, quam qui ære non redemissent, vorârunt. Sed jam quâm plurimùm emendati sunt majori ex parte mores Valachorum Transilvaniam incolentium, ex quo suam hæresim & Schisma ejurarunt; rem hanc haud parvi momenti, ut acta sit, paucis exponeamus.

Posteaquam pluribus annis in unionem Valachorum cum Pontificiis ineundam (Græcorum enim errores sequebantur) multorum opera insudasset, operosòque Dacicæ Societatis JESU PP. Missionario-

rum

rum labore, ac Consilio negotium hoc diu multumque pertractaretur, Anno tandem 1698. Albæ Juliæ porrectum est à PP. Societatis diploma Cæsareum cum codicillo Archi-Episcopi Strigon. Regni Hungariæ Primatis, Episcopo Vălachorum Theophilo, qui coacta Populorum synodo, consilium unionis exposuit; quia verò subolucrat hæc unionis tractatio Provincialibus heterodoxis, iñ mox omnibus modis Theophilum dignitate exutum, atque loco motum ibant, ut suscepimus concordiæ negotium tot impetum machinis suo in ortu enecarent. Status Catholicus perspectis malevolorum technis, impetratâ astutâ Cæsareâ protectione, copiam ac securitatem cogendæ rursum Provincialis synodi Theophilo facit, qui cum duodecim Archi-Diaconis, sive, ut Valachi volunt, Petro-Popis, Unioni subscripsit, & præsente Valachico Clero, sequentes articulos juramento firmatos professus est.

I. Romanum Pontificem esse universale caput totius per orbem diffusæ Christi Ecclesiæ.

II. Panem Azymum esse sufficientem materiam Sacramenti Eucharistiaz.

III. Præter Cœlum Beatorum sedem, & infernum carcerem damnatorum, tertium dari locum, in quo animæ defunctorum nondum satis expiatæ detinentur ac purificantur.

IV. Spiritum Sanctum tertiam in Trinitatem Personam à Patre & Filio procedere.

Acta fuere hæc Albæ Juliæ A. C. 1698. die septimo Mensis Octobris, quâ occasione octoginta Valachorum millia Romanæ Ecclesiæ accesserunt; primas hac in re navante curas Cardinale Kollonichio, secundas verò P. Gabriele Hevenessio, & P. Stephano Baranyi, Societ. JESU Sacerdotibus, quorum prior, arduas quasque enascentes difficultates, sapienter admodum apud Cæsaream Aulam Viennæ diluit, enervavit. Numerantur nunc in Transilvania Poparum Valachicorum, ultra tria millia, ex his Archi Diaconi plures quadragenisi: quibus in Spiritualibus præst Episcopus Valachicus, quem ipsi *Vladikam*, id est: habentem potestatem vocant. Huic Aula Viennensis Episcopium Fogarasini cum certis proventibus in Balas-falvensi Dominio Anno 1736. constituit. Habent Valachi suum quoque Theologum è Societate

sietate JESU Sacerdotem , quem ipsi
Theologul blandè compellant Verba Cæ-
farei diplomatis decerpta , atque à Leo-
poldo I. ad Regio - Transilvanicum Gu-
bernium transmisfa ita habent : *Qui ex
Sacerdotibus Græci Ritus apud Catho-
licos cum agnitione summi Pontificis
se declaraverit , iisdem prorsus juri-
bus , privilegiis , exemptionibus ac im-
munitatibus frui ac gaudere debeat , quibus
Sacerdotes Romano-Catholici sive Ritus lati-
ni , juxta Sacrorum Canonum sancta , &
DD. Hungariae regum statuta frui ac gau-
dere dico scuntur .* &c. Viennæ 14. April.
1698.

Instrumentum Unionis Valachicæ ,
cum Romana Ecclesia , ita habet ;

*Nos infra scripti Ecclesiæ Valachicæ in Tran-
silvania partibusque ei annexis Episcopus ,
Archidiaconi , ac Clerus universus , me-
moriæ commendamus tenore præsentium ,
quibus expedit universis , maximè ve-
rò inclytis Regni Transilvaniæ Statibus .
Considerata tam fluxæ humanae vitæ insta-
bilitate , tum etiam animæ (cujus in omnibus
potior cura babenda) immortalitate ,
liberè ac sponte impulsu Divini Numinis
cum Ecclesia Romano-Catholica Unionem in-
sumus , ejusdémique Sanctæ Matris Roma-*

no-Catholicæ Ecclesiæ commembra nos tenore præsentium declaramus, omnia admittentes, profitentes, ac Credentes, quæ illa admittit, profitetur ac credit; præsertim vero illæ quatuor puncta, in quibus hactenus dissentire videbamus, quæ etiam in clementissimo decreto ac diplomate suæ Sacratissimæ Majestatis ac Emin. Ordinarii nobis inserviantur. Quapropter iisdem prossus iuribus ac privilegiis, quibus ejusdem Sanctæ Matris Ecclesiæ Præsbyteri, ex indulto Sacrorum Canonum, nec non DD. quondam Regni Hungariae Regum utuntur, nos quoque iuxta prænominatum suæ Sacratissimæ C. E. R. Majestatis decretum, nec non Emin. Ordinarii, amodò E. deinceps uti ejusdem commembra frui ac gaudere volumus. In cuius majorem fidem ac robur, præsens manifestum nostrum propriæ manus syngraphâ, nec non sigillis tam Monasterii nostri Albensis, quam propriis usualibus communimus. Albæ Julæ 7. Octobris 1698.

Crescit jam non modicè rectus ordo in populo Valachico, cui nihil ultra exceptandum, quam ut in celebrandis festis novum sequatur Calendarium, quod ipsum multi etiam Valachorum fieri concupiscunt, gnari, ut urgentes sileam causas, quam ferax bonorum sit concordia

dia cum Romana Ecclesia ; cujus negle-
ctum extremē experti sunt , priusquam
sux Unionis negotium perfecissent. Non
ita namque pridem è Sectariis non nemo
opibus potentior , adeò præpostere Va-
lachis imperitabat , ut Fogarasini jus ul-
tra omne ac æquum , homuncio laicus ,
atque à vera lege alienus , Præsbyteros
græci ritūs formare , ordinare , ac vete-
res Popas exturbare non sit veritus. Ea
insuper tempestate , quâ Romanam Sibi
Unionem procurabant , tantâ malorum
iliade in possessionibus Sectariorum orcus
in Popas deflavit , ut passim vinculis fu-
stibûsque multarentur , nisi à pio capto
desisterent. Nonnulli etiam iundis ex-
uti , alii Exilio damnati , morte insuper
aliqui ferociter affecti sunt plura passu-
ri , nisi metus præpotentis Caesaris Leo-
poldi persecutionem Valachicam cohi-
buisset. Usitatus hic heterodoxis mos
est , ut quod amplius viribus pollent , ed
ferocius per credentium bacchentur ju-
gula , invisâ Apostolis prædicatione , gen-
tes sibi adunaturi.

Armeni eâ tempestate in Transilvani-
am nacti sunt aditum , quâ Regnum Ar-
meniæ ab *Oscin & Hagagh* , Regis Ar-
menorum Leonis III. filii , fraterno dis-

fidio discerptum est ; *Hagagb* enim re-
 gnandi accensus cupidine , eâ lege ad-
 versus Fratrem , Persica ac Turcica im-
 plorat auxilia , suæ penitus gentis ac Pa-
 triæ immemor , ut hi , eo decedente
 succederent , modò ipse dum viveret ,
 Solus imperet. Malu hocce consilium ,
 sultori exitium attulit; Nam Persæ ac Tur-
 cæ postquā *Hagagb* Solium stabilivissent ,
 moram longiorem aversati , eō per insi-
 dias sublatō , populationibus & terro sui
 securos Armenos invadunt , injuriis dive-
 xant , denique partito inter te kegno ,
 cæsis potentioribus Civibus , finitimam
 Urbem *Ani* dictam , eāmque vastissimam
 Persis vicinam , de qua illis minimè con-
 veniebat , communi consilio diruunt.
 Hac patriæ eversione superstites à cæde
 cives , pars in Persiam , pars in Crime-
 am , pars autem in Moldaviam & Polo-
 niam tuo cum Antistite concessere : pactâ
 subinde cum Moldaviæ Dynastis conven-
 tione , in septem recepti sunt Civitates ,
 quas Tempis , Asceteriis , ædificiis ,
 Mercibus & artibus nobilitarunt. Anno
 dein Xti 1668. immanni exortâ seditione
 Henculum inter & Ducam Vajvodam
 Moldaviæ , ac Turcis quoque ad obsi-
 dendum Camisiecum excitis : dum vi ,

fortunæ in prædam , juxta ac filii eorum
in servitutem abstraherentur , Armeni re-
bus suis consulturi , Montana subière , u-
bi in tertiam hyemem delitescentes ,
tandem mutato Consilio , & desertâ Mol-
daviâ in Transilvania sedes quæsivere . Si
Religionem eorum spectes , Romano-
Catholicam nonnulli sequebantur , ca-
teri verò Eutychianæ hæresi adhærebant,
dudum in Authoribus suis Eutychè Ar-
chi-Mandrita Constantinopolitano , &
Dioscoro Alexandrino Episcopo , damna-
tis in Chalcedonensi Concilio . 630. Epi-
scoporum , Leone I. Romæ sedente , &
Martiano Imperante .

Armeni nactis sedibus , mox de ape-
riendo quoque Religionis suæ exercitio
circumspexere ; crebris itaque Statum
Catholicum circumstant curis , impetrânt-
que bina Sacella suis Sacris Servitura ,
in Sedibus Siculicalibns Csik & Gyergyó
ad S. Nicolai , posteaquam in multorum
orthodoxæ Fidei Curionum confessu ,
cum Vicaria Episcopi autoritate adfiden-
tium , Seniores Armeni , doctrinæ Unio-
nem cum Romana Ecclesia perpetuò va-
lituram professi fuissent . Latebant nihil-
ominus errores nonnulli in eorum ani-
mis , nec erat , qui delatione malo oc-

cureret. Quartus jam supra octuagesimum, seculi prioris volvebatur annus, ex quo Oxendius Virzireski, gente Armenus, Romæ annis 14. in Collegio Urbano de Propaganda, moribus & literis excultus, ejuratis prius in Palatio sacri officii, Fidei erroribus, redux in Transilvaniam, cum potestate Apostolici Missionarii; reducendorum ex integro, ad Romana Senia Armenorum spem fecit, aluitque quadriennio; verum potentiores nonnulli, cum Præfule suo *Minas* vocitato, à Romana lege alieno, vel in cunis eam præfocatum ibant. Oxendum Regni & Religionis turbatorem conclamat, ad tribunalia provocant, ubi vir, modestus, ac ingenio acer, objecta crimina fortiter retudit diluitque demum suò zelò & doctrinâ, Armenoprimum Præfuli, mox reliquis ovibus, unionem cum supremo Ecclesiæ capite persvasit: Leopolim itaque in Poloniā simul abeunt, Ubi Minas à Cardinali Pallavicino Nuntio Apostolico, solutus ab Hæresi, Romanis accessit: nec diu ex morbo ac ætate fractus, in Transilvaniam revertit, & terras Cœlo permutavit. Interea non destitit Oxendius Clerum populūmve Pastore orbatum cohortari, fidei

fidei Romanæ puritatem commendare ,
errores ejuratos amplius patefacere .
indè cùm sat supérque in rem confici-
endam , animati essent Armeni , in Po-
lonias rursum ad Apostolicum Nuntium ,
rum temporis Cardinalem Cantelmum
Varsaviæ commorantem , suum Archi-
Præsbyterum Eliam ablegant , qui ex-
positâ petitione , voti compos effectus ,
rursùs in unionem legis publicè jurat ,
missóque codicilio Romam , suo & gen-
tilium nomine , ab Innocentio XI. O-
xendium , novum Armenis Episcopum
imperat . Ab hoc tempore præter Bi-
striciam Civitatem , alias quoque suo
& Provinciæ commodo incolunt , potio-
rem tamen mercium quæstum Samos-Uj-
varini seu Armenopoli periclitantur.

Bulgari ab eo tempore , quo Turcæ
Bulgariam populatione vexabant , eám-
que vi subjugârant , è Patria profugi , at-
que oppidò numerosi , in Transilvania ad
Coronam constiterunt , ubi etiamnum
statio ipsorum vicus Bulgaricus audit.
Jam Valachis permixti , nomen ferè amit-
tunt . Postremò deinde bellò , quod Leo-
poldus Cæsar feliciter cum Turcis gessit ,
plurimi Bulgarorū in Transilvaniam com-
mearunt . Erat quippe in Bulgaria , pro-
pe So-

pe Sophiam Christianorum Regiuncula
 Tarcis tributaria quaternis civitatibus
 exulta, totidemque Asceteriis Familiæ
 Observantium Seraphicæ provisa, quibus
 prærerat Turcus, modico planè suorum
 præsidio defensus Harum illustrior Ki-
 provacz, à Sacra Deiparæ in Cælos as-
 sumptæ æde, duobus item oðris Gra-
 ci ritûs conspicua, & mercatoribus præ-
 dives floruit: Altera Kopilovacz, Ca-
 tholicis, quos Arnautas dixerunt, frequen-
 tata, Templum Principi Apostolorum
 dicatum habuit: dux reliquæ Zelesna &
 Clissina dictæ sunt, huic S. Michaëlis Ar-
 changeli: illi verò S. Marci Evangelista
 Templum eminebat; cum itaque A. C.
 1688. viðtricibus Leopoldi Cæsaristæ ex-
 ercitibus, Belgradum Serviæ caput ex-
 pugnatum esset, actutum quaterni Ko-
 pilovaczenes Centuriones, Veteranio
 Cæsariani Peditatûs Ductori semet ad-
 junxerunt, & ne otiosi Martem sequeren-
 tur, fugitivum Tökölium intercipere
 constituunt; verum unde incrementum
 sperabant, inde perniciem suis accive-
 runt. Elapsâ namque prædâ, primùm
 Vezirio, Sultano postmodum, velut
 Turcici imperii proditores delati, adeò
 dirè multabantur, ut qui fugâ salutem

non reperit, cæde ac excidio dictarum
 quatuor civitatum interierit. Supersti-
 tes nonnullæ à clade Bulgarorum familiæ
 per invia alpium cum PP. Franciscanis
 de observantia ad Argentinam Provinci-
 am tunc pertinentibus, in Transalpinam
 venere, & cum Cæsariano exercitu in
 Transilvaniam commigrarunt, ubi pro-
 pitiam annis pluribus fortunam frustra
 quæsiverunt; nam nec quæ possederant
 tueri: nec quæ optâssent, consequi po-
 terant; suis itaque prolibus, quod spei
 supererat, Cibiniensium Patrum Socie-
 tatis JESU curæ, ac Eleemosynæ relictis,
 ipsi egentes ac vagi ad annum usque 1700.
 Provinciam percursabant, quô Leopol-
 dus Imperator egestate tot advenarum
 motus, ut Patrem amplius, haud paulò
 splendidiore titulo, quam Principem
 gentium semet probaret, iis ad Albam
 Julianam, propter Marusii fluminis ripam,
 oppidum Vintz, adjectis immunitatibus,
 exercendæ mercaturæ causâ tradidit,
 atque à sola Aulica Camera, hujusque
 vicaria potestate, magno Bulgarorum
 emolumento, pendere mandavit, ubi
 etiamnum suis vivunt in Posteris, quan-
 quam multi ipsorum hisce annis in Te-
 mnedsem Banatum: Novas facturi Co-
 lonia

lonias , concesserint . Hoc ipsum Oppidum ponè Marusii ripam , aliquot Anabaptistarum Familiæ cum suo Ministello insederunt , qui vario vitam , ac rem domesticam opificio sustentant .

Bulgaros , dispari fortunâ secuti sunt in Transilvaniam , Græci , Servii , Rascii & Judæi , Turcarum tyrannidem abominantes ; ubi eō vivunt discrimine , quod Rascii colonos , cum Serviis agant : Græci autem & gens recutita , totos se ad mercaturam & quæstum conferant . Postremò , secunda quoque Zingarorum gens , prolixo numero Transilvaniam habitat , cui frequens in ore Pharaonis nomen . Zingari hi ab origine Ægyptios , atque ex dictata sibi à Deo pœna , mundi peregrinos semet fabulantur . Camerarius *in boris succisiis* memorat : ubi cunque locorum degant (quod sanè mirum) unico fundamentali idiomate utuntur , dialecto singulis locis attemperatâ . Crantzius scribit : colluviem hanc hominum A. C. 1417. primùm in Germania apparuisse ; quâ autem occasione in Hungariam & Transilvaniam penetraverint , variant quidam , alii penitus omittunt . Istud pro vero traditur : Ferdinandum Hispaniæ Regem , Sexaginta dies

dies iis destinâsse , intra quos Regni si-
nibus exesse jubebantur , neque amplius
reverti licet . Fures hi , ut eos Majolus
compellat , non levia dant commoda Do-
minis , qui eos in suo fundo patiuntur ;
perpetua enim malleorum tunstione , Cy-
clopum instar Vulcanum circumfidenti-
um , non male fabros imitantur .



§ II.

*Syllabus Transilvaniæ Ci-
vitatum, Oppidorum, & Pagorum.*

Hic Principatus, quām numerosa indi-
genarum multitudine habitetur, ex adne-
xo locorum indice dignosci poterit; con-
stat is ex tribus Nationibus pragmatica
lege unitis.

<i>Transilvani Hungari numerant.</i>					
Comitatus 7. Civitates Oppida Pagos.					
1. Albensem	-	-	9.	-	245.
2. Colosiensem	1.	-	2.	-	197.
3. Hunyadiensem cum valle H'attzeg	-	-	2.	-	255.
4. Tordensem	-	-	5.	-	175.
5. Küköllö	-	-	1.	-	113.
6. Doboka	-	-	1.	-	160.
7. Szolnok interius cum Dominio Kóvár	-	2.	-	193.	
Dominium Zarand cum pagis contribuentibus, &	-	-	-	-	32.
Distictus Fogaras rivulis pisco- fissimis ex alpibus delabentibus intersectus, à Valachis ut plu- rimūm habitatus	-	1.	-	63.	

Summa: Civit. 1. Oppid. 23. Pagor 1433.
Hunga-

*Hungari Siculi
numerant*

7. Sedes. Civit. carent. Oppid. Pagos.

Udvarhelly cum filiabus,				
Keresztur & Barducz	-	3.		130.
Marus	-	-	1.	125.
Csik cum filiabus Gyergyó				
& Kászon	-	-	2.	50.
Sepsi cum filia)				
Miklosvár	uno vocabulo			
Kézdi		Háromszék	4.	95 $\frac{1}{2}$
Orbai				
Aranyos	-	-	-	21.

Summa :

Oppidorum 10.

Pagorum - 421 $\frac{1}{8}$

*Transilvani Saxones divisi sunt in
Sedes novem & duos Districtus,
in quibus loca sunt
sequentia.*

Sedes.	Civitat.	Oppida.	Pagos.
Cibinium	- I.	- - -	30.
Bona septem			
Judicum	- - -	-	27.
Filiae Szelist &			
Talmats.	- - -	- -	I 2.
Segefvár	- I.	- I.	15.
Medgyes	- I.	- -	26.
Szász Sebes	- I.	- -	I 2.
Nagy Singh	- - -	3.	22.
Új egy Ház five			
Lóskirchen	- -	I. -	II.
Szereda helly five			
Raismark	- - -	I. -	II.
Kóhallom five Reps	-	I. -	18.
Szász-város	I.	- - -	14.
District. Coron.	I.	- - -	26.
District. Bistriczi.	I.	- - -	44.

Summa: Civit. 7. Oppid. 7. Pagor. 268.

Revocatis itaque ad calculum locis universis Transilvaniæ Principatûs , numerantur Civitates octo. Oppida 40.
Pagi 2122. & $\frac{1}{2}$

Arces Deva, Samos-Ujvár, Kővár, Gergin, Thet, Csik Szereda, Üdvarhely, Budvár, Bagyi, Almas, Balványos, Baroti, Bivarczfalva, Firtus, Szombor, Vörös-Marton, Tusnad, Zsögöd, Szasz-Sebes, Kőhalom, Zetalok, &c. Item Castella, Prædia & Nobilium Curias, loca deserta, & rursum habitata ac ædificiis instructa: Præsidia insuper, quorum caput est Carolina, olim Alba Julia dicta, demum annexos Decanatus ac Capitulis pagos prætermittimus. Hungari ex octo Civitatibus solam Claudiopolim possident: Siculi Maros-Vásárhelino contenti sunt. Celebriora oppida utraque Natio numerat sequentia: Fehirvarinum, Alvincz, Kézdi-Vásárhelinum sive Asserculi, Szereda, Csik, Bereczk, Illyefalva, Dées, Ennyed, Sepsi, Háccek, Hunyad, Szent-Györt, Abrugbánya, Kolos, Torda, Samos-Ujvárium, Üdvarhelyinum, cuius pars una Nobilior ad ejusdem nominis Sedem spectat: pars altera vario quæstu vivit.

§ III.

Transilvaniæ Fluvii & Aquæ.

HÆc Provincia, quæ nullum fluviū aliunde recipit, ex quo ejus mireris altitudinem, sed omnium quos continet, domi suæ fontes habet, è quibus liberali eoque multiplici alveo, Acheloa pocula vicinis propinat populis: Tres navigabiles numerat: Alutam, Marusium, & Szamusium. *Aluta* seu Olta fontes habet in montis Carpati radicibus, in limine Russiæ rubræ Siculiam aluit, & per Transilvaniam ac Valachiam inter angustas valles proximè Nicopolim Bulgariæ, Danubium subit, quâ parte adjuncta Hungariæ Valachia terminatur, anno 1718. Turcis erepta; verùm anno 1739. rursus amissa.

Marusius sive Meriscus, vulgò Maros, olim Marus ex alpibus oritur, quæ Moldaviam Transilvaniæ jungunt; primùm exili fluit alveo, mox admisso fluvio Górgény, aliisque rivulis, eodem serè tractu natis, in viscera Transilvaniæ penetrat, tandem non longè ab oppido Gerend

Gerend Chrysium, vulgo Aranyos a-
mnem ad Lupsam, Toroczko, & Tordam
defluentem excipit, collectis deinde
plurium rivulorum undis Küküllő & Om-
pai sive Apulo, Albam Carolinam, Vintz,
& Borborek dirimens, meridiem versùs,
relictâ arce Hunyad, & Devâ monti e-
ditissimo impositâ, Capronczam labitur:
Lippam postea & Csanadinum Hungariae
progrediens, infra Szegedinum Tibisco
miscetur; per hunc sal omnis è Transil-
vania Szegedinum devehitur, qui per
Hungariam ac Serviam distrahitur.

Samusius sive Szamos geminus est, ma-
gnus & parvus; *magnus* è radicibus alpi-
um, Moldaviam contingentium erumpit:
pluribus auctus fluviolis, à Nagy-Banya
Civitate duobus milliariis distans, in Ca-
strum Medgyes declinans, Szattmarinum
irrigat; tum verò ad oppidum Szamos
in Tibiscum se exonerat: *Parvus* suum
fontem habet in radice alpis Kalata, ad
meridiem sitæ, qui ab indigenis *Viszafollyó* sive aduersè fluens vocatur. His
tribus fluminibus, minora annumeranda
veniunt, ut *Sajo*, qui in finibus Sicu-
liae septemtrionem versùs suum Ortum
nactus, primùm Bistricza amne misce-
tur, alluitque ejusdem nominis Civita-

tem opibus ac multitudine populi præ-pollentem: mox supra oppidum *Deés* se-met in magnum Samusium præcipitat.

Secundus est *Kőres* nonnullis Chrysius, aliis Chrysocolla, qui ex tribus amnibus Aranyos dictis coalescit, ramenta enim auri velut Tagus Hispaniæ aut Pactolus Lydiæ, imò & massulas in juglandis figura, singuli olim, idque crebro deve-hebant. Subinde adeò exundant, ut currum in præceps rapiant, ex his, qui metas Hungariæ tenet, è Dacicis jugis ultra Sebesvarinum oritur, ac inter præ-altas asperásque alpes continuatis anfractibus præcipitatus, celeri alveo per loca campestria Valachis culta, Telegdignum allambens, Varadinum planè, quod magnum appellamus decurrit; admisso postea utriusq[ue] *Kőres* albi & nigri flumi-ne, in Tibiscum ad Csongradinum se-met exonerat: Australis verò sive niger Chrysius in meridionalibus Transilvaniæ montibus circa Abrugbányam sca-turit, inde juxta keresbányam ac Fel-tót, nec non Castra Jenò & Gyula in meridiem procurrens, aliis duobus *Kőres* immixtus, pariter in Tibiscum com-migrat. Quam plurimos insuper hæc Provincia amnes, eósq[ue] limpidissimos.

numerat, ut Sargetiam seu *Strig*, Küköl-
lő, Müllenbach sive Sabes aliis Sebus,
&c. qui quovis tempore delicatos quo-
ve pisces alunt, ne à regalibus mensis
aspernandos. Ex Lacubus Transilvani-
cis, primo loco venit is, qui in Comi-
tatu Dobocsensi ad Pagum Zegni in lon-
gitudinem trium ferme milliarium pro-
trahitur, ambitque nonnullos montes,
quorum radices aliquot familiæ promis-
cuè habitant. Alter è lacubus, dicitur
S. Annæ, inexhaustæ hactenus profunditi-
tatis intra montes Tacsnadenses situs,
qui nullo unquam riphæo licet æstu con-
stringi, aut in eluvionem attolli est no-
tatus. Accolæ Maris Oculum vocant.
In tractu Almás Sedis Udvvarhelly visun-
tur subterranei Specus, in quibus stillan-
tes aquæ in lapidem durantur. Comi-
tatus Hunyadiensis ad Gogy calidas a-
quas, Albensis verò sulphureas frigidas
perquam Salutares habent: sulphureæ i-
tem in Csik ad Olách-falvam, eæque sa-
luberrimæ scaturiunt. Visitur hoc loco
siccus quoque puteus, isque sulphure-
us: quin & acidæ aquæ vulgo acidulæ
ad rivulum Homrod: Item in Salzburg
subterraneæ aquæ calidæ simul ac falsæ,
toti viciniæ adversus varias corporis af-

fectiones probatissimæ ; sed & ad Claustrum Seraphicum Csikiense in Somlio , uti & ad Vicum Verebes , Csik inferioris , largissimè scaturiunt aquæ salutares , quibus prima Nobilitas statu Veris & Æstatis tempore , alvum eluere consuevit . Huc referri videntur aquæ fœcundæ , lacuum instar protensæ ad Homorod , Sz. Pál Sedis Udvarhelly , item ad Gernye-ség in Fogaras & Besztercze , in quibus aquaticæ nuces gignuntur , quibus avidissimè Transilvani vescuntur . De mineralibus montibus ac aquis sequens plura referet paragraphus .

§ IV.

Soli Ubertas & Abundantia Transilvaniæ.

Figura Provinciæ , quam expingimus , bellissimè Cor exprimit ; Nam ut hoc multis turgescit venulis , estque fons vitæ in animali : ita Regio ista nunc montibus , saltibus , nunc sylvis ac pascuis tumida , modò aquarum divortiis intersecta , adeò agri est fertilis , vini ferax , auri , argenti , Cinabaris , Antimoniī fo-

nii solaris, rubeis etiam maculis distin-
cti, tum verò cupri, ferri, aliorūmque
metallorum locuples, Mercurio prædi-
ves, Equorum insuper, Boum, ferarum,
avium & piscium abundantissima; ut ne-
mo indigenarum incusare naturam possit,
quin peculiaria vitæ commoda in eam
contulerit, modò suam homines fœcun-
dæ glebæ, tantillùm industriam jungant.
Et habet hæc ditio, quod pluribus etiam
gentibus porrigat, ac necessaria submit-
tat; tanta enim telluris est fœcunditas,
ut quicquid ex fructibus terræ in alimo-
niam Vertitur, non ad usum tantum, sed
ad luxum etiam suppeditet: Hic fossiliis
tanta est copia talis, ad *Deés*, *Kolos*, *Tor-
dam*, *Vizaknam*, *Homorod*, *Sz. Fál*, *Paz-
raíd*, & alibi passim, ut quemadmodum
veteres toti eum Scythiae: ita RR. omni-
bus Austriacæ Potentiae subditis regnis
ad extremum usque intereuntis mundi
diem sufficere posse existiment: Hic in-
ter aristas Ceres, & quicquid estur mor-
talibus, in latè flavescentibus campis,
nunquam lassatam vibrat falcem. *Quid*
mirum deinde? si ad hæc horrea, in qui-
bus mensam stravit Deus ad discumber-
endum, tot ex Europa & Asia confluant
Nationes? Et quoniam Dacicas opes,
hodie.

hodie dum monstrant antiqui Cæsarum
 numi, uti amplius in Veteri Dacia ex-
 posuimus; idcirco præter memoratos
 fontes, unde regnum divitiæ proma-
 nant, eos solum hoc loco subjiciemus, qui
 nostrâ etiam ætate abundantiam Transil-
 vaniæ commendant. Et primùm quidem
 venienti ex Hungaria ab *Hunyad & Gy-
 lu*, totus tractus montanus, tam eâ, quâ
 Daciam Mediterraneam, quâm quâ parte
 Ripensem, seu Hungariam ad Marusium
 usque respicit, aurifer est: idem deinde
 per juga montium metalliferacium, à
Deva per aureum montem Romanorum
 ad *Margam*, cis & trans Danubium lon-
 gissimè procurrit. Rursus plaga Rudnen-
 sis, montana quoque *Gyergyó*, *Csik*, *Ud-
 varhelly* & *Háromszék* in Bartziam usque
 metallifera sunt. Montes insuper à Mil-
 lenbachio civitate, quâ parte ad meridi-
 ana *Háczeg* & *Sil* oppida declinant,
 aversâ autem elegans & propè ad inte-
 gram puritatem, vel fluvii ipsi dant
 aurum, quos chrysios rectè vocant; de
 his, atque Aurariis Comitatûs Albensis
 jam alibi meminimus. Adjacet Abrug-
 banyæ vicus *Kerpenes* & *Bucsum*, cum
 valle à rubro rivo dicta; sunt ibi per cir-
 cuitum montes terum plurimarum ferti-
 litatæ.

litate usque adē cumulati , ut solertis terræ viscera thesauros regiis opibus ampliores alant : illic nempe obryzum aurum patulis quoque de montium culminibus frustulatim præci ditur , ponè valles autem , limpidissimi amnes aurato , ac cinabarino Sabulo oppidō graves decurrunt . Neque multis passibus ab Abrugbánya , in Vertice præalti montis , rodus cameratae olim fodinæ , Romani operis insigne documentum visitur . Memoriā penè fugissent montes Rudnenses , Moldaviam & Sarmatiam versus positi : item , prærupta montis *Wolcoi* , à Vulcano dicti , atque ima *Bibor* , ubi lotura auri virginei fit , quō elegantius Provincia non habet .

Ferri fodinas conservat nunc oppidum *Toroczkó* , ubi argentum quoque à ferro separatur . Hunyadienses neglectæ jacent , magis florent in *Gyergyó* & *Taplotza* , in *Csik* ad *Madara/z* , in *Bardocz* & *Harman* pagis . In monte *Aklos* fundendis ferreis fistulis , quibus plumbea vibratur grando , aptum planè eruitur ferrum . Cretæ copiam erui in Sede *Udvarhelly* , & ad Castrum *Bálványos* , uti & Sulphur in territorio Torriensi notum est ; sed hujus postremus minera nequedum

dum cœpit usus publicus. Ad vicum Harman in latere montis *Mitácz*, rubei coloris lapides sculpidis figuris accomodi, tum ad Claudiopolim ac Tordam apta ædificiis saxa candida, & ad fluviū *Oitos* laboratæ cotes reperiuntur. Ad Tordam visuntur petræ ad spatium unius milliaris in longum ruptæ, in his Scorpiones gigni quibus Pharmacopei utuntur, certâ fide accepimus. Et ne prolixiores simus in referendis singulis beneficiis, quibus rerum Conditor hanc regionem ditavit, velit vel ex unius nemorosi montis feracitate (tota enim dictio mons veluti unus ac sylva est) eus abundantiam lector accipere. Mons hic Siculis *Hargita* dictus, arvis & pascuis largè fœundus, tanta saluberrimarum herbarum varietate germinat, ut sua accolæ omnia ferme ciborum condimenta, nam à peregrinis abhorrent, & ægrorum alexipharmacæ inde convehant; à cervinis fungis est etiam celebris, nutritque non modico numero Linces, Martes, Rupicapras, Apros, Ursos, Hermellos, Castores, Bonasos &c. Sed Uros quoque jubis horridos, & Tragelaphos, genus Cervorum barbatorum. Mellis densæ inter illa nemora saltusque tanta est

est copia, ut præter usum communem, ex eo tam delicatum potum coquant, qui vel vino assuetis facile imponat. Si ambrosia hæc Siculica pluribus asservata sit annis, eâ ditiores solum ac Ingenui, Cretici ad morem utuntur; Vineta enim hic nulla, & multis Siculis, vitis visa est nunquam. Cæterum vina Transilvana raro in copia ad maturitatem veniunt, maximè, quæ Septemtrionem respectant, calcem copiosam redolent; quocirca Valachicis, tum incolæ tum advenæ Nobiliores delectantur.





NOVA DACIA
SEU
TOPOGRAPHIA
*Celebriorum Transilvaniæ
Urbium.*

PARS SECUNDA.

§ I.

ALBA CAROLINA

Nuper Alba Julia, Hungaris Gyula Fehérvár, Germanis Weissenburg, Jam Hungaris Carolvár, Germanis Carlsburg.

Urbs vetus ac princeps Daciæ Alba, suorum prope ignara natalium & Authoris, non levem porrigit litem Scriptoribus: aliqui enim ejus Conditorem Julium Cæsarem, alii Gyulam Hunnorum Ducem, Julianum Augustam alii volunt. Nos cum Szentivanio à primis Daciæ populis conditam, ac Tarnis dictam

dictam censemus. Succendentibus subinde in imperio variis gentibus, varium quoque nomen ac formam induit. Sub Decebalo Daciæ Rege altera Regni Sedes erat. Annales Hungariæ (*a*) ita habent: *Metropolis Transilvaniæ est Alba Julia à Romanis priùs condita, deinde ab Albanis Scythis instaurata.* Bonfinius plura Libro 9. Annalium, cum Melchiore Inchoffer S. J. Scriptore (*b*) consignavit. Gyula unus de primis septem Ducibus Hungarum, magno vir animo, cùm fortè in Transilvania venandi studio sylvas oberraret, Albam vetustissimam urbem, Romanorum monumentum, sed vepribus & arbustis obsitam, antiquitatem veneratus, instauravit, & Albam Gyulam, posteri mollius Julianam, quasi à Julio condita fuisset, vocaverunt. Omnia hæc veritati cohærere arbitramur, modo originem ejus longè ultra, quām Romanorum cœperit in Dacia imperium, referamus; sunt enim Historici, ut notat Conradus Gesnerus in Onomastico, qui primordia Albæ ad ætatem Cotisonis Dacorum Regis pertinere ajunt, quo tempore nè hilum Romani in Dacia possederunt. Svetonius in Octav. memorat:

D Regi

(a) Bonf. Doc. I., lib. I. (a) in præv. abyrn. ad A.C. 793.

Regi Cotisoni datam in conjugium Julianam Augustam, natam ex Scribonia, Augusti Cæsaris conjugé filiam, ex quo conjectare licet, ejus memoriæ Albam Julianam, abolito *Tarnis* vocabulo, instauratam fuisse. Sed qui vetera omnia ad Recentiorum possit accommodare sensa, ille magnus Apollo in literatorum senatu, jure dictaturam capessat, Cujus nos quoque ferulæ lineas has subjicimus. Porro sita est Alba instar umbilici in gremio Regni, ex colle declivi ad duo fere millia passuum, planicie undequaque circumfusa, viciniam despectat. Reischendorffius scribit: olim tam spatiösam constitisse, ut Marusius, qui nunc passibus mille distat, per medium eam securerit. Addit Ortelius: circuitum illius quinque milliaria germanica intercepisse; neque id longè est à veritate, nam toto hoc ambitu multiplices ruinæ, tabulæ ac conditoria, quæ hodie dum eruuntur, veterem ejus amplitudinem commendant: nunc exiguo terræ spatio conclusa, posito veteri nomine, validissimi propugnaculi formam accepit, quam lectori ut exhibeam, lubet penetralia ejus subire; & quoniam interiora urbis tenemus, à Sacris initium faciam, ubi insignis

insignis Basilica præminet, olim mortaliū adulationi , nunc superūm veneratiōni dicata. Condita fuit honoribus Antonini Pii , & Juliæ Matris , quæ Templi Solis Sacerdos eo in loco Daciæ , Sacra Romanorum accurabat, in quo ejusdem Progenitores fortunarum suarum perpetuas sedes posuere. Vide Thom. Reinensis . Nobis propria autopsia argu- mento est, cùm nuper altè sepultos ex quadrato lapide fornices , atque à prin- cipe nunc Templi vestibulo 12. circiter passuum intervallo remotos , Præfulis æ- dem versùs curiosius contemplaremur, ipsissima veteris porticūs vestigia nobis sunt ostensa. Tam magnificæ fabricæ Conditorem, Ulpium Mucianum , Ro- manæ Militiæ Præfectum existisse , anti- qui marmoris inscriptio docet , quod A. C. 1550. teste Reischerdoffio , in hac ipsa Basilica repertum est, & his chara- cteribus notatur, si à Lazio , Wagnero & Tröstero recedimus, quos lectori ex- hibemus :

I. O. M. ET IVNONI REGINAE
PRO SALUTE IMP. M. AVR. AN.
TONINI PII AVG. ET IVLIAE AVG.
MATRIS AVG. MVLPIVS MVCIANVS
D 2 MIL.

MIL. LEG. XIII. GEM. HOROLOGIARE
 TEMPLVM A SOLO DE SVO
 EX VOTO FECIT
 FALCONE ET CLARO COSS

Proximè quoque haud procul à Tem-
 pli altera turri, vitio temporum ruinata,
 erutus est sequens lapis, ita signatus :

SOLI INVICTO
 AEDEM RESTITVIT
 C. CAE. FILIVS
 SABINVS LEG. AUG.
 LEG. XIII. GEM.

Hæc admiranda Fabrica à Christianis
 postea Deo dicata, & S. Michaëli Ar-
 changelo adscripta, ac ut multi tradunt,
 à D. Stephano I. Hung. Rege primùm
 restaurata, quam An. C. 1003. devicto
 Gyula Avunculo suo, magnis vectigali-
 bus, multisque aureis vasis dotatam,
 fundatâ Sede Episcopali in Cathedralem
 Ecclesiam commutavit. Refert illa figu-
 ram Crucis è quadratis lapidibus magni-
 ficè in altum evecta, atque cum adjun-
 eta sibi turri nuper renovata, quæ omni-
 um in Transilvania celsissima visitur, to-
 tam qua latè patet in meridiem Devam
 arcem, & Branickam usque, findente
 Marusio per septem ferè germ. millaria,

pera-

per amœnam planitiem despicit. Socia
eius continenter tot bellis subacta, flain-
misque depasta, totum decorum amisit;
potissimum autem hujus Basilicæ magni-
ficentia ab hæresi deformata insqualluit,
dum regnante Isabellâ Polonâ, nomina-
ti Joannis Sigismundi Zapollya, alias Ste-
phani pupilli Matre, Paulus Bornemisza,
Præfus Albensis, à conjuratis in Ferdinan-
dum I. è Provincia A. C. 1556. exulare
jussus, eâ Hæterodoxi una ex parte pe-
nuarii ac præsepis locò abutebantur, ad
adventum usque Georgii Martonfi Tran-
silv. Antistitis, qui paucis ab hinc annis
expurgatam, multisque centenis curri-
bus elato fimo, variis ornamenti collu-
stravit, & cum primis rarissimi operis
quatuor minoribus aris, in binis Templi
naviculis, specioso à varietate colorum
marmore, multis Regnis vix viso deco-
ravit. Marmor hoc probus Antistes &
solutis Mausolæorum compagibus potio-
ri jure pro Deo vindicavit, quām olim
sectarii, qui ex eodem compacta altaria
dissolverant, & in suorum Principum lo-
culos adornandos, novo Christianis jure
alienaverant. Et quoniam plurima hic
antiquitatis visuntur monumenta, sele-
ctora ex iis producemos; & quidem for-

tis ille Hungariæ Heros Joannes Hunyades , cujus cineres Bonfinius & Thuroczius in hac Ecclesia conditos fuisse tradunt, primum sibi locum vendicat ; qui 10 7bris A C 1456. piè Semlini ad Albam Græcam vitâ excessit , quem mox Europa deploravit, Callistus III. peculiari pompâ luxit , universô Purpuratorum Patrum Senatu , inferias eidem magnifico apparatu persolvente. Nos æternæ ejus memoriae hoc Elogium subscribimus :

Joannes Corvinus Gloria Transilvanorum.
Nobilis Soboles Ingenui Valachi Budi.
Cliens Demetrii Cardinalis Episc. Zagrab.
Numinis Providentia Christianis datus
Ob Virtutem Vajvoda Transilvaniæ.
Banus Severinensis & Temesiensis.
Hungariæ Gubernator, non Rex ;
Sed Regibus major, Pater Patriæ.
Genitor Mathiæ Regis hoc nomine primi
Tandem à Ladislao posthumo Alberti filio.
 Comes Bistriciensis.

In Basilica D. Stephani Viennæ creatus.

Hostium Domitor

Turcarum ultra centum millia fudit.

Quater & vigesies prospere confixit,
 Bis præ militis inopia cedere coactus.

Nullius unquam Vanitatis reus notatus

Salus.

Salus Publica, Christianæ Reip. Defensor,
Justus, Pius, Fortis, semper audiit.

D. Stephano & Ladislao proximè accessit,
Extinctus tamen, ut æternum luceat.

Ponè Joannem Corvinum , quiescit
frater ejus , hac inscriptione , gothico
charactere supra marmor ac alabastritem
lapidem expressâ honoratus :

*Joannes vocatus Frater Gubernatoris, sit iunctus
Cælicis choris, sit junctus cælicis choris.*

Ex adverso latere , Ladislaus Hunyadi Mathiæ Regis frater eleganti ac Corvi
effigie notatô marmore concluditur, qui
ob cædem Comitis Ciliæ , violatâ à Re-
ge fide , quinque iætibus truncatus Budæ
23. die Novemb. cecidit ; quâ , anno se-
quente , ut Bonf. & Ranzanus tradunt fa-
ta Regi vitam eripuere . In aditu Tem-
pli ad sinistrum latus , visuntur in simili
tumulo cineres Reginæ Isabellæ Polonæ:
ponè hanc , Stephani Zapollya ejus fi-
lli ; qui ad memoriam Patris Hungariæ
Regis , sed multum degener , Joannes II.
dici voluit ; Arianismo enim Pseudo-Au-
lici ac Medici sui Blandratæ contamina-
tus , miserè interit . Eodem tractu le-
gitur nigro incisa marmori sequens inscrip-
tio , quam insignis Poëta moriens sibi
accinuit , cum ignoto titulo :

Megerechen Ar. Co.

De se ad Lectorem

Quem non livor edax , alienaque gloria torquet,
 Perlegat haec latiis carmina cæsa notis.
 Tres fuimus claro cognato sanguine vates ,
 Pannonicam Dravus quos rigat altus humum ,
 Unus erat Janus , proprias qui primus ad oras.
 Duxit laurigeras ex Helicone Deas.
 Alter erat Petrus , genitus de stirpe Garazda ,
 Qui tulit Aoniæ plectra Sonora lyræ.
 Ultimus hos ego sum , cognata è gente secutus ,
 Tertia doctarum gloria Pieridum .
 Strigonia Petrus requiescit in Arce , Joannem
 Ipsa suum sedes Pontificalis habet.
 Hic mea si dederit fors , offa recondite , si non ,
 Nil nostra , jaceant , quolibet illa loco.
 Spiritus æthereas postquam resolutus ad auras
 Evolat , haud magni membra caduca facit :
 Celsus ab æthereo demissus Patre revertit ,
 At Corpus , de qua fingitur ; intrat humum .
 Cælum divinæ est requies faustissima mentis ,
 Parvula corrupti corporis illa Domus .
 Ne longum lector damnes in marmore Carmen ,
 Scriplimus ignotis ista legenda viris.
 Vivens scripsit A. D. 1507. vixi annis 37.
 Quid ais? tace! Zoile tace.

In comperto est , hunc Poëtam fuisse
 sanguine junctum Joanni Vitezio Quinque
 Ecclesiensi Præsuli , qui sub nomine Ja-
 ni Pannonii insignis Poëta floruit . Late-
 ri Ecclesiæ adjectum est vestibulum An-
 no C. 1513. gentilitiis Procerum scutis
 adornatum , quorum munificentia illud
 assurre-

assurrexit. Arma Episcopi Transilvaniensis in postibus suspensa, hoc disticho signantur :

Mathiam claro tetigit qui sangvine Regē,
Ista Ladislai signa fuēre Geréb.

Altera vestibuli parte Principum Apostolorum effigies cernitur, quælibet suo anagrammate subscripta :

*Limina qui astriferi reseras & claudis Olympi,
Pande mibi æthereas Petre beate fores.*

*Multa doces hominū qui millia credere Christo,
Da mibi, da rectam Paule tenere fidem.*

Sed quis universa, quæ huic Basilicæ & ejus cryptis, studio Majorum sunt inscripta, in has paginas cogere possit? praeforibus Sacrarum ædium, vastum ac laatum stat Episcopium, Canonicorum quoque Collegio instructum, quod proturbatis penitus Præsulibus, Principes Transilvaniæ diu infedere : nunc Austriacis auspiciis sub Carolo VI. suis Dominis magna ex parte cum Templo restitutum est. Istvanius (a) hæc posteris hac de re scripsit : Tasnadum oppidum cum fructuum decimis, quæ ad Albensem Episcopatum pertinebant, à Regina Isabella A. 1559. abalienatum est. Adhæc tribus provisa Templis : uno Patrum So-

D S

cieta-

(a) Hist. Hung., l. 19.

cietatis JESU à munificentissima Batho-
riorum Familia excitato , altero venera-
bilis ordinis Provinciae Observantium ja-
de Bulgaria dictæ , cui nomen Franci-
scus indidit. Illud ereptis morte Funda-
toribus , heterodoxorum furor pulsis je-
suitis invasit , tantumque afflixit , ut
præter ruinam manserit nihil ; seculo fe-
rè exules reducti , Deo primum dicatas ,
impendiis Comitis Stephani Apor , de-
inde & suas ædes instaurare cœperunt ;
& quoniam sua dote ac fundis carent , ex
quo exuti sunt , idcirco domicilium eo-
rum cum Minervæ Athenæo , lentè ad-
modum consurgit : Istud verò , quod
Patrum Observantium esse diximus , est
que vetustissimum Sacellum , Sancti Ge-
orgii nuncupatum , nunc sortitum est
nomen D. Capistrani , ob memoriam ,
hunc locum sub Vajvoda Hunyiade in-
colentis. Stat ad ortum hybernum cum
turri antiqua , cujus olim apex Saxeis stro-
bilis ex parietinis vetustæ urbis Apuli e-
rutis culminabatur. Colitur hic prodi-
giosa Deiparæ Icon , alia ab ea , quæ o-
lim *Virgo Alba* nominabatur , & quoni-
am anno 1742 Novum odæum Veteri
adjunctum ad perfectionem deductum
est , die 9. octobris ejusdem anni solenni
pompâ

pompâ Thaumaturga Icon majori Ara
imposita est. Tertium demum Sanctua-
rium colunt, non ita pridem jactis fun-
damentis, ac absoluto jam opere RR.
Patiens Ordinis Sanctissimæ Trinitatis, de
Redemptione Captivorum in añexo Asce-
terio, Anno 1695. in Hungariam à sum-
mo hic Præfule Georgio Széchénio Me-
tropolita Strigonienſi introducti. Expe-
ditis sacris profana invisiuri ædificia, à
nova urbis munitione auspicamur, quæ
tot inter Austriacæ potentia municipia
hæreditaria, non infimo loco censi debet.
Et quoniam Alba Julia penitus
veterem formam exuit, novo quoque
nomine insignita, ab Augusto Condito-
re Carolo, Carolinæ Albæ nomen acce-
pit, Anno 1714. quod novis aggeribus
jubente Carolo VI. muniri, & annis in-
sequentibus validissimis mœniis cingi oc-
cœpit posito primo lapide 4ta Novem-
bris ab Illustrissimis Heroibus è Comiti-
bus Sigismundo Kornisio, & Stephano
Steinvillio, Legum illo, Armorum hocce
meritissimis Provinciæ Præfectis. Quod
igitur ter felix fortunatumque sit Albæ
Carolinæ, toti Daciæ, ac universæ Ro-
mano-Catholicæ Reip. eâ contentione
grande hoc ac lautum profecit municipi-

um, ut perpetuam sibi securitatem, hostibusque positas esse Metas adspondeat; idque tanto fidentius, quod amplius declivi in colle situm, suam hosti celat munitionem. Ei hisce chronosticis metris saxo incisis in ortu Poëta accinuit.

LVCE saCra CaroLI sIMILes aLba aCCIPIt ortVs,

In soLIDa pRIMVs ponItVr arCe Lapis.

IVLIA nata fVI, CaroLVs VIM, robVr & aVXIs,

IVLIA sIn Llbeat nVnC CaroLIna VoCer.

Numerat propugnacula septem, scutis Imperatoriæ Domus eleganter adornata, quæ totidem Cortinis seu muri intersecti loricis, tum verò speculis cupro tectis, atque in altum è cæso lapide aquilis effigiatis, auróque coruscantibus fastigiantur. Dicta propugnacula heptagonum formant municipium, quæ sua nomina à totidem Divis sortiuntur, quorum honori ac tutelæ dicata sunt. Accedunt septem quoque Revelina, seu moles portis præstructæ: Semilunæ 14. singula hæc munimenta, & ardua urbis mœnia, in altitudinem 33. pedum attolluntur: horum operum latitudo in fundamentis est 12. pedum. Muri autem, qui mœnibus ex adverso objiciuntur, vulgo Contraescarpæ dicti, in altum novem pedes habent, superaddito fastigio pedum quatuor. Eorum distantia à cortinis, seu latitu-

latitudo fossæ est pedū 84. totidémq; pedum pons validus, quo hæc munimenta connectuntur. In fronte cortinarum, certæ insuper munitiones figuram rhombi referentes visuntur, quas raro in aliis præsidiis reperias: bellicis Machinatoribus Tinellia vocantur, & ante quamlibet cortinam binæ consistunt, ita ut per circuitum 14. numerentur. Portas cum ferratis obicibus, adversus incumbentia discrimina, & ad tutanda Revelina positas, habet senas, quarum duæ solùm, clausis reliquis, dant aditum.

Una, quæ Orientem solem aspicit, ad Romanorum, & omnium fortasse Gentium invidiam, magnificentissimè erecta, Architectonicæ & Statuariæ ingenium prædicat, nequedum tamen suam perfectionem sortita est. Ejus facies ex quadro saxe compaginatur, trophæa, pugnas, aliisque militaris fortitudinis monumenta & tela artificiose scalpro partim in Saxo, partim in alabastro efficta, ingredientium oculis objicit: Aquila uno è lapide secta, expansis alis, Sceptro, & ense, ac aurato vellere adaucta, portæ supereminet; at interior sive Occidentalis facies, speciosiora à scalpro & malleo elaborata refert ornamenta nam fronta-

frontatus ejus vertex , majestate figura-
tarum è saxo Dearum conspicuus , à præ-
vastis quatuor Gigantibus , ex candido
lapide cæsis , sive Diis terminalibus suc-
collatur , qui totam eâ parte molem suis
capitibus & brachiis excipiunt , quâ Ca-
rolus VI. Rom Imperator semper Augu-
stus , cristato Bucephalo insidens (est sa-
xea machina pedum 12.) medio aëri lau-
reatus immergitur ac ex urbe subiectum
oppidum despicit . Interna portæ came-
ratio , duodenas premit columnas , qui-
bus suo pondere incumbit : harum inter-
vallum hinc & hinc , distinctas vias cur-
ribus peditibûsque præbet .

Altera ad occidentem porta , faxeæ
subiecta moli torvo vultu , neglecto scal-
pri artificio , funestas non nisi mortes
hosti minatur . Adhæc Carolina , quem-
admodum olim Provincialibus comitiis,
& Episcopio , Principumque Transilvaniae
commoratione longo tempore erat cele-
bris : ita nunc ab eadem Episcopali sede
ac ædibus Canonicorum , tum verò à Ca-
mera , cum peculiari suo Præside , cæ-
terisque erectis Dicasteriis longè cele-
brior effecta est . Præsidi enim Camera-
li , Monetaria primùm domus , cum
Mensariis , Numulariis , quibus auri ar-
gentive

gentive flandi , feriundi , signandique potestas data : item singuli totius Transilvaniæ & nuper Cis Alutanæ Valachiæ latomiarum salis Sub-Præfecti : tūm Fiscalium etiam bonorum Curatores , atque Generalis proventuum Perceptor , ad quem singulis angariis tricesimalia deferebantur lucra , penitus subsunt subjiciunturque. Est & aliud minus Dicasterium , quod Exactoratum vocant , in quo rationes excutiuntur ac suos in ordines rediguntur. Denique militari ut plurimum Præturâ gestit , cuius directioni Cæsareum Rræsidium ac armamentarium bellicâ supellectile affatim provisum obtemperat. Eminet quoque Annonaria domus , quæ præfidiarios roborat , ejus furni sunt memorabiles , nam numero decem sunt , quorum quivis quingentos panes una vice excoquit.

Lustratâ , quantum assumpti operis ratio fert , Præsidii formâ , mœnibus ultra egressuros , porta ab occasu in montes vitibus confitos deducit ; inde in rupem clivo Sancti Michaëlis impositam itur , ubi situm est vallum , quod Romanorum fuisse , lapides loquuntur. Isthinc ultra , aditu perdifficiles inhorrescunt alpes , intra quas montana oppida conduntur ,

Abrug-

Abrugbanya princeps est , olim Collegio Sacerdotum à Joanne Hunnyiade donata , venis prædives metallicis , à tot seculis non exhaustur . Jam si ad Meridiem te convertas amoenissima se se planties pandit , quæ in Septemtrionem quoque deflectens , Ennyedinum usque à Calvini nido famosum oppidum , sex passuum millibus distatum , lentè procurrit . Ad Orientem , amplum oppidum quadrifariam divisum patet , quod suburbana nonnulli , alii Albam vocant , vasto ambitu complectitur Hungaros , Germanos , Italos , Armenos , Hebræos , & quicquid Nautæ occupant , ac Valachi numerosi , ubi Cœnobium olim Valachicum græci ritus constituit . Catholicis isthic Strictioris Observantiæ D. Francisci Filii sacra ministrat . Marusius hac lento passu graditur , cuius utramq; ripam , ad unū lapidem navalis pons ab Alba distitus conjungit .

Carolina divellitur Claudiopoli 8. Cibinio 7. milliaribus germanicis .

CIBINIUM.

Ungaris Szeben , Germanis
Hermanstadt.

Cibinium omnium Saxonicalium Civitatum in Transilvania municipium

um ac caput , ad meridiem orientem
 versus jacet , à præterfluo amne Cibin ,
 nomen accepit , ita à Sibinis , Svevorum
 gente appellatus , postquam Romano-
 rum exercitus variis nationibus permix-
 tus , sub Tiberio Cæsare in confiniis me-
 diterraneæ Daciæ consedisset . Alterius
 nominis originem , quod urbs gerit , vi-
 delicet , Hermanopolis , aliis Hermopo-
 lis , nunc Hermanstadt , Majbonius in ir-
 mincula sua , ab Hermete , qui Saxon-
 bus vernaculâ lingvâ Herman audit , de-
 ductum esse probat . Addunt nonnulli ,
 amplissimum olim à Getis in eo ipso
 Monte Getenberg dicto , cui superior
 pars Urbis insidet , regnante Hermanari-
 co Gothorum Getis mixtorum Rege ,
 Hermeti seu Mercurio sacrum stetisse fa-
 num . Sed vicinorem nostræ ætati no-
 minis originem , ædificatæ civitatis cu-
 nabula , clari tradunt Historiographi , vi-
 delicet : Anno Christi 1006. cum Gisela
 Bavara S. Henrici Imp. cognomento Pii
 Soror , ac D. Stephani Regum nostrorum
 primi sponsa in Hungariam commigrasset ,
 eâ opportunitate Hermanum quendam
 Norimberganum , Reginæ aulicum , la-
 psu temporis in Transilvaniam venisse ,
 atque ad fanum Hermetis villam ædificaſ-

E se , quæ

se , quæ factâ mortalium accessione Anno Christi 1160 in munitam urbem versa sit ; nam anno Christi 1143 à Geysa Rege II. Saxones in Transilvaniam accessiti , ac ab adventu suo , anno undecimo magnis immunitatibus ab eodem Rege donati , radices quoque collis , mœni- bus cingere constituere . Luculentum asserti hujus est testimonium , urbicu m Cibiniense sigillum , hac inscriptione si- gnatum : *Sigillum Civium de villa Her- mani.*

Urbs hæc , quæ Orientem & Meridi- em respicit , ab ea , quæ collis lateribus adjacet , lapideis gradibus dividitur , ha- bétque fontem in loco urbis editiore , ex quo aqua per canales è deducta , in labrum decidit , unde potior incolarum pars haurit . Ab occidente , humiliore loco brachium amnis Cibin admittit , qui pleno alveo extra delabens complures rivulos ex septemtrionalibus Siculiæ pla- gis defluos excipit , neque procul à ru- bra Turri , ad quam repetitis vicibus , me- morabili clade Turcis tentatus est ingres- sus , in Alutam exoneratur . Plures in- super rivuli è vicinis piscinis ad civium commoditatem hanc urbem præterflu- unt , quæ Viennâ Austria , suo ambitu minor

minor non est, & si artem demas, naturâ fermè munitior, ob piscinarum multitudinem, quæ hosti aditum ægrè præbent. Numerat portas majores quatuor, minores duas: adhæc vario belli apparatu provisa, præter mœnia Saxeis defensa turribus, habet fossam undique vastissimam, eamque si orientalem partem excipias, aquis refertam; hanc extrinsecùs in gyru ampla vivaria, alicubi etiam quadruplicato ordine ad unū milliare italicum circumcingunt. Reischerdoffius scribit: isthuc in subterraneas fossas ad multos annos, citra publicam jacturam, frumentum advehi, nec deesse molas, ita aptatas, ut nulla arte ab hoste esuriem Civitati moliente, eripi possint. Et certè post funestum Ludovici Regis ad Mohácsium interitum, urbs hæc toto septennio, dum civilis belli furor vastaret Provinciam, semet citra externarum gentium auxilia, contra hostiles impetus domestico Marte strenue defendit servavitque: Turcis etiam nunquam aditum reseravit, & cùm vice quadam nefario ausu & dolo, Turcarum legio muros subintrasset: mox reciprocâ Civium arte, ad hostium famam excitus, egressusque Turca, civitate exclusus est.

Postremis annis , revertentibus ad Hungariae Regum Obedientiam , Regium idque validum recepit Præsidium.

A magnificis ædificiis multùm decora-
tur hæc Civitas , eorum singula super-
nè à laterculis rubescunt , ob quod Tur-
cis rubra civitas audit . Varietate nego-
tiationis , & opificum numero est frequens
ac potens : pagis Regiis septem supra
viginti gaudet : olim monetariâ etiam
domò inclaruerat . Politicus ejus Ma-
gistratus passim laudatur , tam urbicus ,
quam Provincialis ; huc enim Saxonicae
nationis Judices omnes , Præsidésque
singulis annis die Partheno-Martyris Ca-
tharinæ congregantur , lites ac commo-
da gentis , rémque publicam consulta-
turi . Prima duo Nationis capita isthic
resident , nimirum Urbis Consul , cui
tota OEconomia subest , & Nationis Co-
mes sive Regius Judex , qui Jura litésque
Saxonum cognoscit ac definit ; hoc ta-
men discrimine , eorum auctoritas cir-
cumscribitur , quod intra urbem Consuli ,
si simul gradiantur ; extra hanc autem
Regio Judici , alter dextram porrigat .

Memoratu digna occurrit , vasta admo-
dùm Basilica , formam triplicatæ Crucis

referens, olim 24. Aris instructa, quam clarus mitrâ Præfûl, cum Decano, & venerando Sacerdotio præditis, 24. viris accurabat. Usum ejus ultra duo secula habent Saxones, unâ cum ædibus Canonicorum. In hac Urbe, reperti subinde sunt, qui Pietistarum dogma profitebantur; illud ita habet: *Hominem solo Dei spiritu regi Legem adimpleri, modò divinis inspirationibus obtemperetur.* Necessaria esse bona opera ad salutem: *Caput nullum esse Ecclesiæ, quod sit visibile; sed futurum primò, ac annis mille duraturum ante extremum mundi diem, cùm Christus in gloria apparebit.* Nullum dari hæreticum, sed solum Hæreses, & plura his magis inepta. Amplas Capitularis Præpositi ædes, in lusu pyramidum olim perditas, hodie hæredes Lucs possident; si tamen de re aliena lusus valet? istius facti memoriam, lapis muro domûs insertus exhibet, in quo binæ manus, quarum altera globum, altera pyramidem tenet. Suberant huic Præposituræ Decanatus duo, Schenk & Lescbkirchen, & teste Szentivánio, in Sacris urbs hæc, Archi-Præfuli Colocensi olim obtemperabat: Nicolaus Olahus, & Hannerus l. 4. pag. 191. in Cathedrali Parochia, Archi-Episcopi Strigoniensis-

goniensis Vicarium quoque resedisse tradunt, cuius Jurisdictioni etiamnum omnes Catholici parent. Terna insuper Conventualium Fratrum S. Francisci Monasteria, (a) à nonnullis memorantur, alii his tribus, duo adhuc adjiciunt, unum Dominicarum Virginum, à Patribus Franciscanis reformatis prioribus annis occupatum: aliud Divi Dominici Fratrum, hoc integrum ferè cum Templo stat, ac Civico granario hactenus deseruit: nunc ad Sanctimoniales, quas Ursulinas vocamus, pertinet, adductis Posonio sacris earum Coloniis hoc saeculo, ut teneriorem in hac Urbe pietatem propagarent. Hac tempestate binæ Familiae Cibinii Dominicum gregem, verbo pascunt & exemplo Ignatiana & Serafica Reformatorum. Societas JESU, quæ munia Parochialia exercet hoc loco, in Novo à se erecto Templo, in Transilvaniam sub purpureo Charitatis vexillo introducitur à Stephano Bathorio Principe Transilvaniæ & Poloniæ Rege, Anno 1574. Cibinii verò, post longum à Provincia exilium, jussu Leopoldi Cæsaris anno 1699. Stabilitur. Ita multa, quæ contra voluntatem facta sunt, profuere coactis.

Jam

Jam in Urbem revertamur, quæ à prima sui origine Romanis Sacris adscripta, defecit anno 1519. postquam Martinus Lutherus, lector ut vocant ordinarius ordinis Eremitarum S. Augustini, invidiâ succensus, occasione arrépta ex abusibus, in evulgandis indulgentiis, colligendisque pecuniis per imprudentiam & avaritiam committi solitis, Deo & Religioni rebellis, ex Monacho Apostata factus, Ecclesiæ bellum indixit, suásque maledicas assertiones Templo arci Witttembergensi contiguo præfixit: è quibus velut è Pandoræ pyxide, octo libros virulentæ doctrinæ, quam atra nox exhibuit, anno 1517: in lucem protraxit, ac undequaque irreparabilem mortalium animis, moribúsque cladem intulit. Et Cibinii quidem, anno 1529: eò proterviæ turbulentia novi evangelii buccinatorum erupit vis; ut uno iictu & scelerre, rem Catholicam eversuri, Clerum omnem, Monachos, simul ac Deo Sacras Virgines, qui ad nuptias non transierant, urbe ejecerint: mox misso ad reliquas Saxonum Civitates imperio, quicquid Catholicorum supererat, aris, focis, patriisque fundis ocyüs exturbarunt, exterminarunt. Sed quo jure? cæterū

præter ea, quæ retulimus, extra urbis portam, quæ à S. Elizabetha nomen accepit, extat Catholicæ pietatis insigne adhucdum monumentum, Crux, nempe, cum effigie emorientis Servatoris Mundi, artificiose Scalpro, et si mole sua prægrandis sit, ex integro saxo elaborata. Hæc ex una parte hanc refert inscriptionem: *Hoc opus fecit Petrus Landregen Von österreich* ex adversa autem legitur: *Anno Domini 1417.* Centum igitur annis hoc Crucis trophyum prius constitit, quam sacra vota Lutherus, quibus illigatus erat, adhinnierit. Dos dictæ Sanctæ Crucis, si fides Mathiæ pag. 14. in Vir Engel. Sunt pagi tres: Creutz, S. Nicolaus, & Mesendorff; quanquam erectæ Crucis dotem, longè ampliorem esse alii existimant. Cibinium à Claudiopoli sejungitur milliaribus 15. ab Alba Carolina 7. à Corona 12.

CORONA.

Hungaris Brassó, Germanis
Cronstadt.

Corona Saxonum urbs secunda, Romanis Prætoria Augusta, Græcis Stephanopolis dicta, intra montea

tes amœnissimos sita, finitimarum orientis nationum Emporium, artificum & omnigenæ mercis officina: Orientem versus universi Germanici nominis est terminus. De ejus etymo disceptatur, aliqui ad linum è terra, eò loco, ubi nunc civium curia, ad eam coronæ formam, qualem signatorius civium annulus gerit, procreatum esse referunt: hæc linea corona radicibus evulsa, & multis seculis asservata, anno 1689. cum Curia conflagravit Alii, & verius quidem, Coronam dici tradunt, quod vertici Regionis imposita, ac montibus circum- quaque coronata sit. Novæ Coronæ fundamenta jacta sunt ad annum 1203. Hanc propugnaculis ac vallis Sigismundus Hungariae Rex, seculo 14to, ac postea Rom. Imperator munivit: quâ occasione Regis simulacrum, in fronte muri ad portam civitatis Monasterium dictam, locatum est, quod etiamnum visitur. Ab hoc Sigismundo arbitrantur nonnulli cum Bonfinio, Joannem Corvinum ex adolescentula quadam Valacha, hoc loco suscepsum fuisse; sed criminacionem hanc erudit Scriptores explodunt, cum Joannes fere coævus fuerit Sigismundo, jamque ante annum 1379. apud Demetrum

trium Cardinalem suæ virtutis rudimenta posuerit; Sigismundus autem primum anno 1392. Transilvaniam ac Valachiam ingressus sit, dum domitis Valachis, puisisque Turcis minorem Nicopolim ad Danubii ripam recepisset: qui itaque notus esse potuit Sigismundi? abeuntem è Transilvania Cætarem, hæc de Corona dixisse ferunt: non ferro, sed auro inexpugnabilem se ædificasse Civitatem. Est namque illa multum dives, ac præter celebriores, hebdomadarias quoque, easque opulentas convocat nundinas, ad quas Hungari, Germani, Moldavi, Valachi, Bulgari, Armeni, Thraces, Græci, Judæi ac Turcae confluunt. Perpetuis per singulos fere vicos saluberima fontium scaturigine rivulis abundat: non ita vino; egregio tamen è vicina Valachia ubertim reticitur; mulso insuper, quale nec Polonia coquit, celeberrimo gloriatur. Coronensis districtus Judex, qui Civitati etiam præest, hic residet; Prætura hæc valde opulenta est fertur. Nulli perpetuus incolatus conceditur, nisi Saxo-germanus sit, quo privilegio cæteræ quoque Saxonum Civitates gaudere volunt. Complectitur autem Corona quatuor Templo, horum

prin.

princeps assumptæ in Cælos Deiparæ dicatum , anno 1385. è quadrato lapide magno æris impendio augustè assurrexit : sacro apparatu , cuius pars adhuc extat , admodum dives : adjuncta est huic Templo ædicula Divæ Catharinæ sacra , à qua vicina domorum series , & simul porta urbica , nunc Valachorum dicta , suam nomenclaturam accepit . Hanc Deiparæ Basilicam , Ecclesiasticorum ædes , Scholæ , & Bibliotheca ambiunt , huic nulla par in Hungaria extitit , post dissipatum à Solymanno Mathiæ Corvini Cartophylacium ; in eam enim direptâ Budâ , multis curribus advecta sunt artium volumina , ex Regia illa Budensi Musarum Domo . Ecclesiæ dictæ beneficia ac fundi , subsunt Civium potestati .

Alterum celebre Templum SS. Petri , & Pauli , cum adjacente Cœnobio D. Dominici , ad quod septem pagi pertinent , etiamnum *Hét falu* dicti , desolatum Seraphico obvenerat Ordini , quem Conventuales profitentur . Ordo hic , postquam reformatus est , eâ lege hic stabilitus , ut reformationem acceptantes ad Siciliam spectarent : nolentes verò reformari , Bulgariam peterent . Quanquam & reformati Patres , invalescent Luth.

Lutheri dogmate , sub annum 1530 cum
univerio Catholicorum grege Civitate
proturbati, in Uskiense cœnobium con-
cesserunt. In Annonariam itaque Civi-
tatis domum conversum est hoc Cœno-
biūm, quod anno 1698. 2. Aprilis, in-
censâ urbe , à flammis intactum , Cæsa-
rianus miles conservavit. Paucis post
annis PP. Strictioris Observantiae rurium
suis ædes infederunt. Hoc igne, poti-
or Civitatis portio cum Templis , Bi-
bliotheca , & ducentis octoginta per-
sonis consumpta , etiamnum mœret , lu-
gētque. Ad avertendum deinceps in-
cendium à laribus suis , Acatholici annuè
jejunant, & quidem die Solis: qui alias
angve pejus , Apostolicas vigilias oderint.

Tertium Templum , Sancti joannis cum
Parthenone Diuæ Claræ valde amplum ,
à quo & platea nomen accepit. Quar-
tum juxta Burzensem portam , Nosoco-
mio adsitum , etiamnum visitur , & à pau-
peribus colitur. Habet Corona tria in-
super suburbia , in distinctis vallibus sita ,
horum unum Bulgari , alterum Hungari ,
Saxones tertium incolebant : nunc sine
discrimine nationum inhabitantur. Præ-
cipuum antiqua Civitas , incolis Ultæ
Stadt dictum , duo numerat sacra fana ,
unum

unum S. Martini Episcopi , illudque amplius : alterum Divi Bartholomæi Apostoli , quod veterem terminat Brasoviam ; nam olim umbilicum vici tenuit , ut fidem rudera illic hiantia conciliant . Alterum suburbium Bologna , Germanis Blumenau dictum , à multitudine hortorum per amœnum , unico solum Sacello gaudet , quod ex contagio ægrotantium valetudinario adjacet . Tertium demum variis nationibus repletur , Valachicum audit , in hoc Valachis elegans , græci ritus odæum eminet , à Valachiæ Principibus olim exstructum . Ludum quoque Literarium hic Valachi aperiunt , quo nihil orbe nostro rarius , quia hic tantum Didascalorum labor in eo totus versatur , ut legere ac scribere suam parvulorum Remp. in qua barbati etiam ac uxorati sunt , condocefiant . Eorum literæ Græco-Ægyptiis characteribus conformantur , quibus Illyrii etiam utuntur . Summa perdiscendæ doctrinæ cantu absolvitur , qui magna ex parte Gregorianum ac Hebræum tonum imitatur . Civitas hæc , binis arcibus custoditur , harum altera non inelegans monti incumbit suburbano , quem S. Martini vocant , anno 1553. contra prædonum incursus ædi-

ædificari cœpta, Regiō nunc fortior Præ-
 sidiō , ejus vastissimæ subterraneæ cellæ,
 multiplici munitione replentur. Altera
 arx in præalti montis culmine , german-
 is die Einne / supereminet , olim civi-
 bus receptaculo erat , cùm validior ho-
 stis ingrueret: rudera nunc intus , & in
 gyrum pervetusta mœnia , quæ ab eo
 tempore desolata hiant, quo Coronensis
Magistratus à Tartaris abductus , ac sero
 ingenti lytro redemptus revertit. Stat
 nunc eo loco Crux aquâ lustrali resper-
 fa, quam Christianorum solatio , Cæsa-
 riana legio , peditatûs **Magistri Houchin**,
 anno 1696. posuit. Coronam & finiti-
 mam Siculiam interjacet terra Burzia , sic
 ab amne , Germanis Borze=landt dicta ,
 clauditur longè latéque montibus , & à
 Siculia fluvio Aluta secernitur. Est regi-
 uncula agris , pratis , ac vineis cultissi-
 ma, nec minùs lini , variæque sementis,
 ac vini feracissima. Pagos quoque ali-
 quot sinu suo complectitur, oppida pau-
 ciora. Corona in spiritualibus subest
Arch - Episcopo Strigoniensi , ejusque
 Decanatus per Archi-Episcopalem Vica-
 riū administrabatur. In hanc priori se-
 culo , Christi anno 1694. Societatis JESU
Missionarii Castrenses , & quidem in ve-
 ste ta-

ste talari nigra admissi sunt; cùm tamen per reliquam Provinciam, aliter vestitos latere oportuerit. Parochiam nunc cum Scholis minoribus iidem administrant. Cibinio separatur Milliaribus 12. Claudiopoli 22.

CLAUDIOPOLIS

Hungaris Koloſvár, Germanis
Clausenburg.

HÆc Ptolomæo Zeugma, aliis Patriussa, vetus Romanarum legionum statio ac Colonia, à Claudio II. ut Anton. Bautrandus tradit, ea in parte, quam Ovár seu veterem arcem vocant exædificata: anno deinde 1178. ut conjectare licet, altera sui majore parte, primam lucem adspexit. Civitas ampla, seu plateas & domos, sive frequentem populum numeres, communis olim Comitiorum, & Regii Provincialis Consilii sedes: muro turribusque in plano circumcincta, tribus insuper suburbis aucta, eam à Septemtrione fluvius Szamusius allambit, qui vallum fossâ ac palis munitum, hoc seculo, à Carolo VI. colli impositum, à civitate dirimit: in hoc,

hoc, ex veteri arce per duplicem pontem, lapideum ac sublicium via dicit. Ejus situs Hungariam respectat, qui ab hortis, campis, montibusque Uviferis, ac quas Szamusius format, peninsulis, est perquam amoenus. Præsidium habet Regium, crebris incendiis multum deformatur. Anno enim 1655 Domus 180. & Templa duo cum turribus suis & ære Campano Conflagraruunt: & rursum proximè, 4tâ 7bris 1724 ultra quam sexaginta domos cum porta orientali & horologio Vulcanus absumpsi: à Varietate Religionum planè famosa, atque hinc intestinis discordiis crebro vulnerata. In his Religio Catholica plurimum afflita; hujus enim excidium, incrementa fuere Acatholicorum. Incolitur civi potissimum Hungaro à Romanis Sacris alieno, cuius operâ Saxonum jugum excussit; nam antea numerabatur inter Civitates Saxonicales.

Neque sacra Palladia desunt, intra murum quaterna recenset, præcipuum, quod reliqua fana, ut lunam minora sydera comitantur, à Sigismundo Imperatore & Hungariæ Rege, Honori Princis Angelorum magnificentissime eretum, & largè dotatum, ac anno demum

1432. perfectum in majori urbis foro consistit. Ejus exterior species, unà cum turri quadrato lapide compaginatur: interiorem verò, quam habet formam, in acceptis debet Georgio Martonio Transilvaniæ Præfuli, quem Apostolici Regis Caroli III. zelus, anno 1716. hisce terris restituit, à quibus antecessores, Heterodoxorum Principum decretis proscripti, ultra seculum exules, feliciorem hanc sortem suspirabant. Juxta hiant sacræ ædiculæ rudera, eodem conditrii ambitu conclusa. In minori foro stat alterum Templum, cum cœnobio in ruinam vergente, quod Mathias I. Hungariæ Rex, cuius gentilitia quoque Domus non procul visitur, Ordini Prædicatorum construi fecerat. Ordo hic, à D. Dominico institutus, anno 1208. in Hungariam inductus ab ipso Fundatore anno 1228. postea in Transilvaniam copiosissimè propagatus; sed Claudiopolim revertamur, ubi in Dominicanæ Familiæ Templo longè ultra seculū ab Acatholicis occupato, Societas JESU ab anno 1693. sacra procurabat, nam istud à Calvinianis, Cœnobium verò ab Arianis Regio jussu receptum fuerat: Tardius in præfatum Cœnobium successit Scholastica juventus.

quæ ex Sicilia confluit, in eo stationem suam ad annum usque 1726. tenuit; jam commodiore loco habitat, in erecto à fundamentis Seminario, sub Patrocinio Divi Josephi; Cœnobium enim illud cum Templo, tradita sunt Patribus Franciscanis Reformatis, & ab observantia strictiori nuncupatis, quibus Comitis Sigismundi Kornisii Provinciæ Gubernatoris Municientia utrumque ædificium eleganter ac solidè renovavit. Tertia Basilica, vasta & præalta, in platea Lupi, seu Sancti Wolfgangi, à Sectatoribus Calvini frequentatur, olim Fratrum Minoritarum erat, & D. Wolfgango dicata, atque à Mathia Corvino 1487. exstructa, ut Regiae Litteræ Neapoli Austriæ 7. Septembris ad Claudiopolitanum Magistratum expeditæ testantur. Injuriâ temporum postea factum, eam diu vacuam stetisse, tandemque Societati JESU donatam, dum Stephanus Rex Poloniæ, & Christophorus Bathorius Transsilvaniæ Princeps, contiguum sacris ædibus Collegium Ignatianæ Familiæ è fundamentis educatum largè dotarunt, adjecto Academico Lyceo, ab Religiosis ejusdem Ordinis erudiendo; verum odio & potentia seculatariorum sæpius isthinc, ac totâ Provinciâ

vincia exturbata, rursusque Orthodoxorum Procerum studio reducta, Provinciaz, sed non primis laribus reddit a est. In his intestinis Patriæ tumultibus, maximam Claudiopoli persecutionem toleravit; nam anno 1603. à Sectariis immisso in Civitatem Moysè Siculo, universus armatæ plebis impetus, nubifragii ad morem in Sacras D. Wolffgangi ædes irruit, mox effractis Basilicæ postibus, sacram supellectilem corripere, aras truncare, emotoque tabernaculi cardine, ipsa Sancta Sanctorum impiâ manu disjiceret: dehortantem à sacrilego facinore ædituum, Societatis JESU Religiosum, eur ita nefariè in Corpus Domini sæverent? securi in caput impacta prostrerunt, & plumbea glande insontem ante aram enecant; tum verò evulsis Collegii valvis, obvios malè sustibus mulctant, alios gravius fauciant, & post maledicta ac plagas, omnes domo protrudunt, ad extremum direpta & vastata tecta solo aquant, stolidè gloriantes, quod plurimum Deorum cultores urbe proturbassent: quasi verò tantæ insaniae rei forent Catholicæ, ut quam vel modica rationis scintilla ostendit, ipsi non videant, unicitudinem Dei. Sed non diu impune ste-

tit hoc Sacrilegium ; nam Georgius Ba-
 sta Cæsariani exercitūs Ductor , occu-
 patā postliminio Claudiopoli , improbi re-
 os facinoris comprehendit , quos tamen
 ad Patrum Societatis preces impunitos
 dīmisit , Senatore Ariano excepto ; qui
 enim exterminium Jesuitarum , plebi per-
 svaferat , ex infelici arbore suspensus ,
 vitâ & civitate exterminatus est . Cate-
 ra Jesuitarum exilia , alibi occurrent e-
 narranda : nunc novis restituti sedibus ,
 indigenarum deserviunt utilitati , post-
 quam seculo pene abfuere . In novis se-
 dibus , Catholicæ rei emolumento , no-
 vam è fundamentis erexere Ædem , San-
 ctissimæ Trinitatis adorationi dicatam ,
 ac Academico Collegio eâ parte , quæ
 foro proxima cest , adsitam : gestit hæc
 fabrica , binis præsertim turribus bracteâ
 tectis conspicua : Arâ insuper majori ,
 quam mutuatum ab arte marmor , adjun-
 ctis præaltis columnis collustrat . Primus
 post Deum Ecclesiæ hujus thesaurus est
 prodigiosa à lacrymis Icon Deiparæ , pu-
 blicæ venerationi in ara majori proposi-
 ta , posteaquam fidelium frequentationi
 sacra ædes anno 1724. 10. 7bris resera-
 ta , & in sequente anno consecrata fuisset .
 Huc spectant duo Seminaria scholaſtico-
 rum

rum, curæ Patrum Societatis attributa, unum Clericorum & eagentiorum Nobilium Juvenum; Alterum etiam Nobilium juxta ac ignobilium, pauperum Scholasticorum, pro numerosis alumnis positum; quod enim Gregorius XIII fundaverat, invidia & hæretica pravitas evertit; tot enim hæc civitas novis exundat doctrinis, expulsis licet anno 1724. Sabbatariis, ut quovis penè in vico alia & alia, cantu, precationibus, scholastico-rum & præconum vociferationibus oratoria personare audias: videre enim est isthic Togatorum Scholasticorum turmas, Arii & Calvini juratas colonias: tum verò progenitoris Lutheri, bifariam moribus & cæremoniis scissos nepotes. Vlachi Romanis uniti, extra suburbium, in Pago, cui nomen *Monostor*, ritu græco cum Rasciis & Armenis, sua facra accurant. Eodem ferè tractu, eis rivulum, in veteri Jesuitarum statione, anno 1691. erectum facellum, ac Dolorosæ Matri Sacrum, religiose colitur. Situs suburbii hujus, partim laxatur in hortos & colles modicè tumentes: partim supinatur in campos, vel apricos, vel silvosos & flexuosis aquis discretos ad usque radices montis *Hoja* vini feracis, quod inter deterio-

ra Rex est. De hoc suburbio Bonfinius
 lib. I. dec. I. meminit: *Colosvarum, Scho-*
lasticum oppidum, Scythicā linguā interpre-
tatur, vicinum est illi Monasterium Beatae
Scholastice dicatum. Ejus hodiéque in-
 dicium ostentant sepulta rudera, at-
 que hinc magis veritati consonum, non
 à Scythico suburbium vocabulo, *Ko-*
losvár quasi *Ischola vár*; Sed à Sorore
 D. Benedicti Sancta Scholastica, cu-
 jus venerationi Templum olim dica-
 tum, ita compellatum fuisse, memoria
 proditum est. Hæc ipsa Sacra ædes, à Pa-
 tribus Societatis restaurata, aspectabilis
 ac culta, binis decorata turribus, & in
 Cœlos assumptæ Deiparæ Sacrata, et
 jamnum statis diebus frequentatur. Olim
 illa mediis in suburbii constitit, hodie
 de suburbiorum polo exiens, subsidente
 in ruinas Benedictinæ Familiæ Abbatiali
 cœnobio, per amœnè eminentiori inhæ-
 ret Colli, & qui totâ Provinciâ esse pos-
 sit saluberrimo; subinde cum agris trans-
 iit in fundationem Academiæ Collegii So-
 cietatis JESU, quæ injuriâ temporum
 cum esset diminuta, movit Stephanum
 Comitem Apor de Al-Torja, ad dotan-
 dum denud Philosophiæ studium. Ad
 Septemtrionem vastissimum suburbium
 patet,

patet, pratis, hortis, agris & vineis uberrimum: non absimile ad Orientem; in quo pervetustum stat facellum, honori Principum Apostolorum cum dote erectum, quod his annis, Conventualiibus S. Francisci Fratribus donatum est. A meridie, mons Hásongárt Ungaris, Saxonibus Haasengarthen dictus, in latum utcunque extensus, murum civitatis terminat, ejus unam partem vineæ occupant, alteram à pluribus seculis, omnium ferme gentium tumuli; tristissimum hoc humanæ mortalitatis spectaculum, sylvam lapideam diceres, nisi temporum antiquitas erectos more Turcico sepulchrales lapides, magna sui parte subruisset. Claudiopolis distat Debrecezino Milliariis 30. Nagybanyak 12. Vardino. totidem.

BISTRICUM.

Hungar. Bestercke, Germanis
Bistritz.

SAxonum hæc est Civitas, anno 1206. ædificata, sic ab amne præterfluo nominata, quem primi incolæ Bastarnæ insedisse scribuntur. Saxonibus

Nōsen appellatur in amplissima vallis planicie sita, vitiferos utrinque colles habet, post hos horrido sylvarum nemore cingitur. A cultura hortorum & fructuum præstantia planè celebris, etsi haud procul à Poloniæ ac Moldaviæ finibus absit. Formam platearum elegantem, & rivulis interlutam, non tamen amplam habet, civium ac ædium cultu nitet, illi enim & numero & opibus florent, & spe facundi lucri, laborosi sunt. Terra hæc, Regum Hungariæ olim erat possessio; Johannes enim Hunniades, ex munificentia Ladislai Posthumi, hæreditaria ad omnem stirpem successione eam acceperat, unde & nomen Bistriczensis Comitis gessit; verum à Mathia Rege filio Joannis, de pensâ Saxones ingenti æris summâ, civitatem in jus suum & municipium adsciverunt, tumverò muris ac turribus circumdatam amplius ornarunt, quàm firmarunt. Floruit isthic ordo D. Dominici, atque instituta ab eo Rosarii Sodalitas, ejus cœnobium etiamnum extat, in quo Philosophia simul ac Theologia explabatur. Scaturit in eo fons Saluberrimus, his notis signatus : 1487. Monasterio adjunctum est magnificum Templum, cum inscripto itidem anno 1490.

In infima
Templi

Templi facie culmini proxima , prostat effigies mundi Salvatoris ex Cruce pendentis , hinc & hinc Mater & Discipulus ; sed eorum vultus plumbea grandine vietantur , in quos sacrilego ausu , sectariorum perditissimi velut in metam olim jaculabantur . Utriusque ædificii funda-
menta , ad perfectionem perduxit Nobilis vir Thomas Farkas de Harina , ut testatum facit sepulchralis lapis , sub quo pii Fundatoris Manes conquiescunt : tum etiam gentilitia arma , foribus Templi præfixa , adjecto nomine Fundatoris ; & quanquam cicatrices vetustatis illud ex parte exterserint , sparsa tamen frag-
menta scuti , leonem referentia , hunc benefactorem & authorem tanti operis fuisse testantur . Habuit Thomas duas filias , ex quarum fœcunditate , linea maternâ tres celeberrimæ Familiæ exortæ sunt : Gyulaffi , Mikola , & Torma . Porro utraque sacra domus , tamdiu constitit , donec cœnobii hujus Archimandrita Matthæus Teutschler , exemplo tractus Lutheri , Religionis ac Fidei desertor , in heterodoxorum castra fugisset ; mox enim ac apostatavit , nuptias celebrando , ex monasterii facultatibus , potentiorum civium animos adeò sibi devin-

sit, ut utramque Præturam, Ecclesiasti-
 cam & Secularem adeptus sit; non alio
 tamen, quam Plebani nomine compella-
 ri voluit impurus Sycophanta. Subin-
 de, qui nuptias aspernabantur, suos ur-
 be monachos proscribit, fundos occu-
 pat, & reliquos, si qui supererant Papi-
 itæ, sic namque nominabantur, penitus
 exterminat: Mœnia deinde ac portas ur-
 bis restaurat, propugnaculis munit, &
 quæ ad defensionem faciunt, armis ur-
 bem instruit. Timida namque semper
 est hæresis, & in media quoque securi-
 tate timet. Insignia ejus, extimus mu-
 rus civicæ portæ contiguus exhibet, quâ
 parte Hungarica platea clauditur: lapis.
 is ita habet: *arma eximii Domini Mat-
 thæi, Plebani istius Civitatis M. D. XLII.*
 in scuto apparet manus gladio armata &
 scipione, incisis saxo-hisce characteribus:
M. T. A. I. V. id est, *Matthæus Teutsch*
 arbiter juris *utriusque*. Præter hanc Basí-
 licam, minus quoque odæum, in Hun-
 garica platea accurabant Sodales Domi-
 nici, quod à Luthericolis in horreum
 mutatum est. Tertium Templum ædi-
 bus pauperum adjungitur, quarum cura
 Dominicanis quoque incumbebat, us
 vulgus refert, & effigies viri, Domini-
 cana

canâ veste propter januam efficti, id ipsum probat In foro civico Parochialis Ecclesia stat, in eam ex majori Dominicanorum Templo, sonorum organum traductum, Lutheranis inservit. In hac Ecclesia, ne hodie quidem imago aliqua aut Crux toleratur, æstate scamna, & mensam cœnæ, floribus adornant, cœterū in eam inferunt nihil, ne lumen quidem; turriculæ & tectum in angulari vertice, veteres è chalybe Cruces monstrant, major autem turris, eleganti opere, culminata, Saxeam Deiparae effigiem, iteratis in locis, monumenta nempe Catholicorum exhibet.

E memoria pene fugerat, amplum D. Francisci Sacratum, cum Cœnobio haud procul à porta urbis erectum, & beneficio cujusdam Episcopi Transilvaniensis, anno 1336. Conventualibus Franciscanis collatum: postmodum ab hæresi exturbatos, & rursum ab Imperatore Carolo Vi. sedibus suis restitutos, invitâ licet civitate vidimus; creverat autem mirum in modum hic ordo PP. Minoritarum, qui anno 1500. sub Corona Hungariae, 143. Monasteria, & Provincias quatuor numerabat; quanquam fato quodam, plerique deinceps illius Conventus, Franciscan-

ciscanis ab observantia strictioribus cesserint. Nunc præter Minores, etiam pa-
rum Scholarum Magistri hanc civitatem
incolunt, sunt hi de Congregatione Pau-
perum Matris Dei, quam Josephus Ca-
lasentius Catalaunus condidit, & anno
1621. Gregorius XV. approbavit. Po-
strema eaque peculiariis Bistriczensium
prærogativa est, quod sicuti Corona,
ita & Bistrica, Saxonalem districtum
constituat, & civitatis idem sit Prætor,
qui districtus à Claudiopoli in septem-
trionem abit illa milliariis 10.

MEDGYESINUM.

Hungar. Medgyes, German.
Medwes.

HÆc Saxonum Civitas, latinis Me-
dia dicitur, eò quod in meditul-
lio Provinciæ Orientem versus,
in ruderibus vetustissimi oppidi, quod
Romani Medias Colonias dixerunt, ercta
sit, & quidem à Saxonibus anno 1146.
Vini cum primis est ferax, jugerum ma-
gna fœcunditas, ad segetes omnis ge-
neris pariundas: rebus denique ad victū,
& quæstum abundat. Subinde à gene-
ralibus

ralibus Provincialium comitiis inclaruit,
 nunc quoque illustris esset , nisi frequen-
 tatis hostium incursibus , & incendiis e-
 vastata, nonnulla instauraret ædificia, e-
 gregia illa quidem , sed collapsas neuti-
 quam reparatura expensas ; nundinas
 convocat celeberrimas , Transalpinis
 emporium audit. Situ & arte , tum ci-
 vium robore , & mercatorum frequentia
 semet munit , nec cuique hosti cedit.
Eius Parochiale Templum colli imposi-
 tum , Castri instar intuentibus semet ob-
 jicit , nam muro turribusque communi-
 tur. Szentivanius Monasterium Seraphi-
 cum istic floruisse tradit. Clade insuper
 Ludovici Gritti Gubernatoris Hungariæ
 non incognita est ; ob indignitatem enim
 cædis Emerici Cibacii Provinciæ Præfe-
 ctū & Episcopatū Varadinensis , Bono-
 rum Administratoris , quem dolo ad se
 accessitum nefariè interemerat , paulo
 post à Moldavis , Siculis , ac Saxonibus
 obcessus , captus , & in campum edu-
 etus , cum tanti facinoris complicibus
 diro supplicio affectus est. Revajus re-
 fert : Grittio manè brachia , meridie pe-
 des , vespere caput resectum esse. Ejus
 insuper duo filii adolescentuli in captivi-
 tam Moldavici Vajvodæ abducti , sce-
 lus pa-

lus patris pœnâ capitîs piarunt. Acta
sunt hæc intra annum 1534 & 1537. Hac
ipsa in civitate bini nobiles , Szylási &
Ladányi, è turri præcipites acti , ob fa-
cinus , quo Principem Gabrielem Batho-
rium , ex insidiis , instigante Deczio quo-
dam rabulâ , anno 1613. 27 Octobris ,
Varadini trucidarunt. Sejungitur Med-
gyesinum Claudiopoli in Orientem mil-
liaribus 10.

SZEGESVARINUM.

Hungaris Szegeſvár , Germanis
Schæßburg.

Vetusior hæc ac celebrior Saxonum
urbs est, nata temporibus ante
Christum natum, & diversis pro
varietate Nationum Daciam incolentium
nominibus compellata, nimirum : Sanda-
va , Singidava , Segetusa , Sciburgium ,
ac Saxoburgum : trifariam dividitur , in
arcem primum , colli impositam , quin-
que Templis adornatam , mercatoribus ,
ac opificibus divitem : & in inferiorem
civitatem sub colle diffusam , quæ civi-
um Senatum cum arce partitur , ornatur
unico Templo , & duabus ex adverso
portis

portis communitur ; demum in longum procurrit suburbium , cui ad Sanctæ Crucis rude gymnasium adjacet . Ex septen-
nis his Ecclesiis , binæ ad velatas spe-
ctabant Virgines , & totidem Parochiales
erant . Strictior D Francisci Ordo , an-
no 1723. ad S. Josephi consedit ; Civi-
tas verò ipsa à Saxo - Transilvanis , anno
1196. è ruderibus vindicata est : eam a-
mnis Küköllő ac viciniam irrigat , mon-
tésque uviferi cingunt . Illud peculiare
habet , quod dum Saxonica Natio comi-
tia cogit , primam post Regium judicem
Cibiniensem , Schösburgensis Prætor sel-
lam premat . Consul Oeconomica solùm
moderatur . Initio hujus seculi , hujas
consul , ejurato Viennæ Austræ Luthe-
ro , in manibus Cardinalis Leopoldi à
Kollonics , redux , eam à Cibiniensi Re-
gio Judice , olim persecutionem passus ,
ut diu carceris squalore vexatus , tan-
dem in Curia , alii volunt , in certa mœ-
niorum turri , resecta cervice necatus sit ;
altò tragœdiæ hujus aliquamdiu servatò
silentiò , subinde tamen , pñnam tulit
eius adversarius .

Szegeſvarinum nullibi magis , quam ex
culmine montis , suam intuentibus ve-
terem præbet magnificentiam , in eo
peram-

per ampla stat Basilica D. Nicolao sacra ,
 ea que rarer ex iis erat , quæ per Transilvaniam visabantur : in structuram ejus ,
 plerique Europæ Principes , suam sym-
 bolam contulerunt , eorum insignia ho-
 diedum intus prostant . Juxta hanc Epi-
 scopus Transilvaniæ , insignem domum
 habuit , unde & Episcopalis vocabatur ;
 adjunctum illi est illustre à fabrica Gy-
 mnasium , sed à doctrina , etiam Aristote-
 lis , nunc nimium caliginosum . Ædes
 pauperum unà cum dote , potestati civi-
 um subjiciuntur , quorum haud modicæ
 sunt divitiæ , etsi crebriùs gravioribus
 damnis obnoxii fuerint ; nam anno 1601.
 die decimo Decembris , à Georgio Ma-
 ko , arce dolo interceptâ , ablatis sacris
 Templorum thesauris , communem in-
 super deprædationem perpetrâ sunt . Cau-
 tum idcirco deinceps erat , etiam terræ
 Principi , armato arcem subire . Postmo-
 dum in Rakocziana hujus seculi prima
 revolutione , arx suis propugnaculis ex-
 uta , finem tot calamitatibus posuisse vi-
 debatur ; verum civili vixdum sopito bel-
 lo , dira supervenit contagio , cuius ve-
 neno quindecim incolarum millia absum-
 pta sunt ; commune hoc malum , in sola
 Transilvania , ultra quam centum millia
 morta-

mortalium, eâ tempestate sustulit. Ad extremum in arcensi Basilica, sumtuosa cernuntur conditoria, vetus quoque lapis sepulchralis, hac epigraphe notatus.

D. M.

M. AVREL. CRESCENTI
AVGG. LIB. VIX. AN.
LXI. ET AVRELIAE FLORAE
FILIAE EIUS DEFVNCTAE
PETOVII. VIX. A. XXIII.
MEN. XI. DIEB. XX.
AEL. IVLIANVS SOCERO
ET CONIVGI PIENTISSI.

B. M. P.

Erat autem Petovium, cuius hic mentio fit, Romana colonia in Dacia, ad urbis Ulpiae latus, quod convallem spectat. Vide Vet. Daciam. Szegefvarinum distat Claudiopoli milliariis 14.

SZASZ-SZEBESSINUM
Hungaris Szász - Sebes Germanis
Müllenbach.

Szász-Sebes olim Zabesus, Romanorum tempestate floruit, fluvius Müll eam alluit, quem Jornandes Muliare vocat, ab hoc Romani Colonias Muliare nuncupabant. Restauratur à Saxo-

G

mibus

nibus anno 1150. muro & duabus portis defenditur , nunc multifariam per Rakoczianos anno 1704. everso muro hiat ; vallo tamen & aquis à piscium copia secundis cingitur : amplissimo præterea , eoque vetustissimo ornatur Templo , in summa ara , per vetustam Deiparæ statuam , ad hæc ferme tempora illæsam Saxoness asservabant , hanc cives , quanquam Luthericolæ , statis diebus venerabantur , & suum Refugium vocitabant , eò quod à progenitoribus traditione acceperint , singularia hujus Virginis patrocinio , civitati collata beneficia. Illud memorabilius , statuam hanc , correpta igni urbe , inviolatam à flammis mansisse , etsi Templum & ara major in orbem conflagraverit ; tam prodigiosi itaque rehabeti pignoris studio , nonnulli Provinciæ Optimates & Præsides æstuabant , multisque , sed in cassum annis repetebant : nam peculiari Mariophilo , semet Virgo inviolata reservaverat , ex Heterodoxorum unguibus vindicandam , cuius terrimum in Mariam affectum , tota Dacia suspiciebat. Sigismundus is erat Comes Kornisius , Provinciæ Moderator , & Actualis Intimus Cæfaris Consiliarius , qui cum Szász-Sebesini diverteret , op-

portu-

portunum conficiendæ rei tempus ratus, spredo, quod offerebatur auro, eam statuam ferid postulavit, quæ olim in Parochiali Templo à Catholicis extructo locata, nihil minus, quam ad Lutheum pertineret, cuius dogmatica sit opinio, Sanctorum Icones è medio potius tollere, quam colere. Tum verò tergiversari cives: mox communitalis ac Nationis suæ supremi Comitis autoritatem interpellare; sed facta ab hoc potestate, Kornisio reddi debuit. Vidiſſes tum complorantes lugubri singultu plerosque civium, ac quā poterant, Iconem prodigiosam comitantes, illud eos ingeminare audisſes: *brevi intereundum sibi, ablato Refugio!* at fragilis sexus, furore correptus, post profusas lacrymas, fractâ voce diras imprecabatur Nationis Comiti, qui in rem hanc consensum præbuisset. Nunc statua hæc in possessione Kórod Kornisiana pie colitur.

Porro situs Szász-Sebesini in planitem excurrit, estque per amœnus. Civitas ab ædificiis olim illustris, præcipua Saxonum ædes audiit, nunc pleraque ruunt, neque ex præcelsa Ecclesia & Cœnobio Seraphico, ad Orientalem portam sita, quicquam super, nisi alta rudera;

hæc ipsa tamen his annis insedit Ordo Seraphicus Munificentiam Patronorum præstolans; suburbis tamen ac hortis longo ordine excolitur, eâ maximè parte, qua Valachi crescunt. Ab hac urbe, procul abeunt oppida *Vintz & Borberek*, ex Divorum Hungariæ Regum donatione ad Transalpinæ Vajvodam spectantia; sed rursum Transilvaniæ reddita. In vicini montis vertice, eminet claustrum Sacrae Minoritarum Familiæ, quod intestinis dissidiis desertum, demum indigenarum furore penitus demolitum. In chorographia sua Reischerdorffius meminit, dotem Templi Parochialis Szasz-Sebesiensis constare ex pagis septem supra decem, quibus nunc Civitas fruitur. Joannes Transilvaniæ Vajvoda & Hungariæ Rex, Medicorum svasu, isthuc æger concessit, lætum mox accipit nuncium, de nato sibi Budæ filio 7. Julii. 1540. editis nonnullis lætitiae signis, 20. ejusdem Mensis, ex morbo, quem secum attulerat, extinguitur. Szasz Sebessinum divellitur Albâ Carolinâ milliaribus 2. Cibinio 5.

SZASZ-VAROSSINUM.

Hungaris Szász-Város, Germanis
Bros.

Per ampla Civitas, humilibus constat domibus. Olim Saxonia, Saxopolis, & Szász-bánya nuncupata, loco Claudiopolis, septem Saxonice Civitatibus adnumeratur. Gaudet feracissimo frumenti, vini, multipliciūmque frugum solo; ejus vicinia Valachis ut plurimum habitata, densioribus sylvis abundant, quibus copia Cervorum & Damularum fovetur. In ejus ambitu, limpidi circumquaque fontes scaturiunt, piscosis inde rivulis circumfluit, qui raræ magnitudinis Truttas, ac Mugiles alunt. Ornatur Parochiali æde, olim à Catholicis erecta, ac Castri in morem munita, hæc Calvinus nunc famulatur. Cœnobium D. Francisci ab Elizabetha Hungariæ Regina ædificatum, subinde Acatholicorum odio & potentia ejectis Fratribus, & post duo ferme sæcula rursum receptis, hodie è ruderibus assurgit. Porro Civitas hæc Nomen Bros sortita est à pervetusta Ecclesia, cuius sola nunc rudera extant, Divo Ambrosio sacrata; Ambrosius enim Transilvano-Saxonum linguâ, Bros nominatur. Cives nutrit ad omnem Urbaniatem excultos, eosque erga advenas quosvis, ex lege hospitales: in vicinitatem Valachos multum imitantur, quo-

rum numerus , uti & Calvini vernarum
 est frequentior. Ad unum lapidem , præ-
 tereuntium oculis objiciunt semet vici
 duo , quorum unus nomen *Rumos* habet ,
 simûlque celebrem ostentat Ecclesiam , in
 cuius exteriori angulo , Idolum videre
 est è candido marmore fabricatum , velo-
 modestè coniectum , Romuliam Deam ,
 Romanorum olim Coloniis , in agro hoc
 diu consistentibus nuncupatum . Adhæc
 loco hoc , aurei potissimum Neronis ,
 Trajani , Domitian , nec non Faustinæ ,
 pluriūmque veterum Imperatorum numi ,
 crebrè reperiuntur . Rarissimus is est ,
 quem paucis ab hinc annis agricola reper-
 tum , Saxonicae professionis . Ministello
 donavit : aureus hic numus , quadrigas ,
 & plenum spoliis currum exhibet , cui
 Imperator laureatâ fronte insidet , pilum
 sinistrâ , legionariam dextrâ aquilam ge-
 stans , cum inscriptione : T. CAES IMP.
 VESP. PONT. TR. POT. F. P. P. cu-
 jus hanc interpretationem damus : *Titus*
Cæsar , Imperator Vespasianus , Pontifex ,
Tribunitiæ Potestatis , futuri perpetuò Pa-
triæ Patres . Aut qui malit , sequentem ac-
cipiat : Titus Cæsar , Imper. Vespasiani Pon-
tificis Tribunitiæ Potestatis Filius , Publicus
Patriæ Pater . Titus utique Romanum redux
deno-

denotatur, ubi cum Patre Vespasiano de Judæa triumphum egit. Aversâ numifacie, figura hominis tristè innixa genu, caput manu sustinens, juxta habet Scropham. Captæ utique Judææ typus is erat, atque in contumeliam gentis, ea Scropha adjecta: quemadmodum in Solymea quoque porta, ab Adriano instaurata, exsculptam fuisse Scropham legimus.

Alter vicus, cui nomen Kényér Mezzd, id est Campus panis, Valachis. Royujer, Civitati subest; huic tertius ejusdem nominis adjacet, memorabilis à Turcarum conflictu, cum Hungaris Ducibus, Stephano Bathorio Transilvaniæ Vajvoda, & Paulo Kinisio Temesiensi Praefecto, temporibus Mathiae Corvini Regis habito; utrinque tanta cædes est edita, ut rivulus per medios prælii campos gradiens, cruentus fluxerit. Christianorum dena Millia, & ducenti loricati equites Transilvaniensis Episcopi periēre: Victoria tamen à Christianis stetit, deletis Sexaginta Turcarum millibus. Hac de re ita Coronensis inscriptio habet: Steph. Bathorius Vaj. Transil. 65000. Turcorum, in campo Royujer prostravit, in festo Colomanii. Sed Zerus unus, aut prima nota superfluit. Szász-Varosinum abest Albâ Carolinâ miliiariis 3. à Claud. milli. II.

NOVA



NOVA DACIA
SEU
Synopsis Chronologica
PRINCIPATUS
TRANSILVANIAE
Ex Probatis Scriptoribus
Deprompta,

AC

Nomina Vajvodarum, Ducum, Principum & Gubernatorum, Eorumque
memorabiliora gesta ex ordine
Referens.

PARS TERTIA
§ I.

Innus Christi M. ad annum usque MCCC.
Primus Vajvoda Transilvaniae
DUX GYULA.

A Nno Ærae Christianæ M. Dux Gyula, Divi Stephani Regum nostrorum Primi, maternus Avus, in Tran-

Transilvania rerum potiebatur: Is seu sua magnitudine nixus, seu odio Christianæ Religionis commotus, obedientiam Regi subtrahit, & ad impia bella anno MII. vexillum extulit; collatis itaque utriusque exercitus viribus, iraque collisis, prælio superatus capitur: quodve supra viatoriam est, in salutarem fidei & pacis communionem totus furor desit; Gyula enim infelicis belli felici exitu, ab errorum caligine, ad hauftum puræ lucis eductus, sacrâ aspersus undâ, Christo se se, cum potiore Transilvaniæ parte, ac Pietati initiavit. Hac Hungariæ in perpetuum adjectâ, ille fit ejus primus Vajvoda. Rex Stephanus recens Hungariæ ac Transilvaniæ Apostolus, ut æternam genti suæ Christianam doctrinam faceret, eversis Deorum fanis, legit Domicilio Sacrorum Albam Julianam, quam Mitrâ ad posteros, & Episcopio claram transmisit, ædémque illam basilicam, quam tot fata expertam hodiéque cernimus, in formam Crucis, anno MIII. instauravit; tum verò hanc, cum plerasque alias ita extulit è fundamentis, ac redditibus locupletavit, ut ditatis Sacerdotiis, Aulam propemodum expoliaverit.

In sequente anno MIV. Bulgari, catc-
G. s rique

rique Sclavi ferocius. per Transilvaniam
grassantur, quibus coercendis, facto un-
dique Regiorum delectu, orto in inferio-
ri Myssia pugnæ initio, ac fusa latè hosti-
li acie, tandem in interiori Dacia, quam
Ceas sive Kean Bulgarorum Dux, subito-
turbine inundaverat, quæ sors acerrimi
prælia fuit, cæsis Bulgaris, & quicquid
obvium ferebatur in armis, haud diffici-
li negotio Ceas, & tota Prædonum
turba obtriti sunt; immensa victor spolia
retulit. Eadem tempestate, sævo natu-
ræ divortio Gyula, qui vix è lustrico fon-
to prodiit, novus cœli Candidatus, Tran-
silvaniæ abstractus, non tam à morte,
quam immortalitate raptus, vitæ finem
invenit.

ZOLTAN

Secundus Vajvoda Transilvaniæ.

Rex Stephanus, ut Religionis fru-
ctum cœco populo amplius com-
municaret, invalida firmare aggres-
sus, Gyulæ successorem, Zoltanum su-
um Proavum dicit; & quemadmodum
superstite ac emendato Gyulâ, lex & do-
ctrina Servatoris Mundi, per Transilvani-
am liberè divul gabatur: ita substituto
Zoltano, ut omnia stabiliora essent, &
decentiore Sacrorum ritu ad institutum
Roma-

Romanæ Ecclesiæ peragerentur, opero-
sè quæsiti sunt novellæ Ecclesiæ Docto-
res & Magistri: tum verò cœpere suam
Daci crudelitatem detestari, justitiam co-
lere, & laxeos aureosqne Dæmonas pa-
lam abnegare; atque ut in cœpto officio
persistenter, Cupæ, Simegiensis agri Dy-
nastæ, qui obsequium & fidem Hunga-
riæ subtraxerat, prælio victi ac quadrifa-
riam secti, pars cadaveris Regio jussu,
Albæ Juliæ in ea urbis porta, quæ Ro-
mulum & Remum cum lupa in saxo effi-
giatos exhibebat, ad terrorem gentilium
præfigitur, ne in legem Christi, aut Re-
gem, audeant insurgere. Anno subinde
MX. Transilvania in universum ad Chri-
stum conversa perhibetur. Bessi adhæc
populi Thraciæ, Christianis infensi, in
Provinciam hostiliter anno MXXI incur-
runt. Sed Transilvani imminentis peri-
culi à D. Stephano præmoniti, gladiis
Bessorum se subtrahunt. Post Zoltanum
nulla in annalibus Vajvodarum fit mentio,
usque ad annum 1305. & causa esse po-
terat, quod post mortem Zoltani, ab
Andrea I. Hungariæ Rege, Regno in-
tres partes diviso, fratri Belæ natu mi-
norì, tanquam Duci Transilvania obtige-
rit.

§ II.

Duces Transilvaniæ.

DUX I. BELA.

Andreas Primus, Ladislai calvi filius, & D. Stephani ex fratre nepos, anno 1047. interfecto ob tyrannidem Petro Rege, fit Hungariæ Rex, & 1049. Belam fratrem Transilvaniæ Ducem constituit. Ejus subinde operâ Andreas Rex perquam utiliter in bello usus, sed imperii sui ac capitis impendio; nam anno MLIII quum Henricus III. Petri ulturus necem, cum lectissimo in Hungariam exercitu, eō fine descendisset, ut Regnum recens conditum everteret, & in Provinciam Romani Imperii redigeret: Andreas cum Bela fratre juxta Jaurinum Cæsari generosè occurrit, & ex annona laborantem, obsessumque bis ferè vincit. Cæsar regressum in Germaniam his pactis licitatur: Pax Hungariæ esto, quæ ut æterna sit, Cæsar Sophiam filiam Salamonis, Regis Andreæ filio sponsam dabit. Andreas eodem anno Salamonem Regem dicit, quâ successione publicatâ & Salamonis coronatione factâ, Bela Dux graviter offensus, Sarmatas in Societatem evocat, & bellum adversus fratrem Andream

dream gerit, quō in pugna occiso , ipso
 fit Hungariæ Rex anno MLX. aliter tra-
 dunt alii : Andream bello victum ac fu-
 gatum , in Bakonensi nemore latuisse , u-
 bi haud diu post , in venatione ex equo
 prolapsum obiisse. Cadaver reconditum
 est in cœnobio D. Aniani , quod propè
 lacum Balaton vivens condiderat. Reli-
 quit filios duos , Salamonem & Davidem.
 Henricus Imperator anno insequente ,
 Salamonem Regno restituere cupiens , à
 Bela fusus recedere compellitur idem
 Bela numerosos Hungaros ad idola co-
 lenda regressos , ad unum interficit : bi-
 nos filios Geylam & Ladislaum Transil-
 vaniæ præficit. Synodus in Hungaria
 celebrat , in qua vetus Hungarorum su-
 perstítio damnatur. Tum verò redditā
 pace almā Hungariæ , suos agriculturam
 colere , mercibus rem publicam firmare
 instituit. Aurea inde hæc ætas audiit , &
 prospere fluebant cuncta At Bela ob
 fraternum iniquè fusum sanguinem , &
 nefariè ereptum sceptrum , Deo scelerum
 vindice pœnas solvit ; nam in oppido
 Demes , cùm jus diceret , subitâ regii
 throni ruinâ pressus & contritus , anno
 1063. aliis 1065. expiravit. Sepultus
 est Székszardini in monasterio S. Salvato-
 ris à se exstructo . GEYSA

GEYSA ET LADISLAUS.

Geysa fugato Salamone , anno 1073. in Regem Hungariæ coronatur , subinde Henricum IV. cum exercitu fame ferè confecto ab Hungaria repellit ; is enim Salamonem cognatum sibi Principem Regno excussum , Regio rursum folio imponere , frustra cum Cæsare Patre laboravit Eodem tempore sæva per Hungariam & Transilvaniam pestis , cuncta funeribus dirè funestavit. Gignit Colomanum & Almum , moritur repentinò , & Vacziæ in æde B. M. Virginis à se constructa tumulatur , anno 1077.

Ladislaus à morte fratris , haud difficiли operā Regnum Hungariæ nactus , sacro diademate à suis coronatur , quodve mirandum , eos invitus honores acceptavit. Hic ille Ladislaus est , qui Regum omnes implevit titulos , ultra quos mortalium labor non assurgit. Divorum post mortem adscriptus fastis , omne humanæ potentiae fastigium conscendit , & ex Transilvaniæ Duce Rex , ea Pacificus Bellator egit , quibus multa scriptorum replevit volumina. Oblatum à Germanis Romani Imperii sceptrum modestissimè recusavit. Basilicas & Templæ Deo , tum variis Instituti Cœnobia , & posuit , & larg

largo dotavit patrimonio. Anno 1087. graffantibus in Transilvania Chunnis Duce Copulch, Ladislau's circa fluvium Temes occurrit, & deletis ad internecionem barbaris, Almum Geyzæ filium, ac Colomanni fratrem, Ducem Transilvanis statuit. Sanctus hic Rex, Dalmatiam & Croatiam à Zolomiri Regis vidua testamento accepit, & Hungariæ Imperio adscripsit. Alii tradunt: Croatas armis Ladislai cessisse, quos, uti & Tartaros, Russos, Polonos, suique Regni æmulos, sæpius victor fudit.

Quum in terram sanctam expeditiōnem pararet, absque liberis in finibus Moraviæ sancte vivere desiit tertio Calendas Augusti anno 1093. Ejus corpus in Ecclesia Varadinensi à se exstructa, honorato loco inclusum est, postquam fratris sui Geysæ filium Almum hæredem sceptri testamento cavit.

ALMUS, DUX IV. Transilvaniæ.

Anno 1091. Almus Colomanni Regis frater, ex Transilvaniæ Duce à D. Ladislao Croatarum Rex datus, ut huic narrationi vetus instrumentum Monasterii Jadrensis fidem conciliat; postea autem Rex Hungariæ inauguratus. Sed is pietate, an simplicitate ductus, Coloman-

Iomanno fratri , ne primogeniturâ cum
 defraudare videretur , Regno cessit : mul-
 tis deinde exploratorum suspicionibus
 fratri iniquè delatus , ab eo dissidet , ca-
 pitur , & in vincula conjicitur ; sed data
 captivo potestas redimendi libertatem ,
 si victum se in fide Regis profiteretur ,
 quâ minimè rejectâ , in gratiam rediit :
 ne sui tamen copiam indulgeret Regi ,
 subtraxit se Regno , & ad Imp. Henri-
 cum hujus nominis V. peregrinatus est ,
 à quo suæ causæ patrocinium efflagitavit .
 In eum itaque finem anno MCIX. Henri-
 cus lectissimis stipatus legionibus , Al-
 mum Regi conciliaturus , confinia Hun-
 gariæ accedit , & res è voto cessit ; nam
 citra armorum stridorem , fraternæ litis
 caput , verbis Imperator confecit , adeò
 ut Colomannus abstensâ suspicione , &
 data fratri incolumitatis fide , in paëtio-
 nes descenderit . Modico post hanc ce-
 lebritatem intervallo , raptis in diversa
 Procerum studiis , Colomannus pessimo
 instinctu Almum fratrem excœcat , ejusque
 filio Belæ , post erutos oculos , quùm ad-
 huc infans esset , testes exeri mandat , ne
 qua hinc propago proveniret . At ille ,
 cui patrandum facinus delegatum erat ,
 divinam iram reformidans , exertos ca-
 tuli

tuli testes, pro his, qui forent infantis, ad Colomannum tulit, pióque commen-
to Regis Sævitiam elusit. Cæterum ultus est suas injurias Deus; nam Colo-
mannus MCXIV. repentino correptus
morbo, à meditato scelere, diros inter-
cruciatus, tertio die vivere desit. Fer-
tur ex Episcopo Varadiensi, aliis: Agri-
ensi, Rex factus. Erat autem vultu de-
formis, pede claudus, setoso horridus
capite, ob exercitam in suos crudelita-
tem, illaudatus & indefectus Albæ Rega-
lis conditus est.

Anno MCXXV. Almus post amissum
visum, ne vitam quoque amitteret, Ste-
phantum II. Hungariæ Regem, Coloman-
ni filium fugiens, redditurus postliminio,
in Græciam abiit, frustra semet vindicem
paratus; nam reliquum jam, cum ni-
hil, nec quod perderet, nec quod tue-
retur, haberet: fugiendi ibidem viven-
dique finem fecit. Memorant nonnulli:
Almum in Ecclesia Demesiensi, jussu Co-
lomanni impii interfactum fuisse. Post
Almum jure devolutus est Ducatus Tran-
silvaniæ ad Belam cœcum Almi filium,
qui vivente adhuc Stephano II. Hung.
Rege, cui Regnum abdicare, & Mona-
chum induere placuit, Rex coronatur

anno 1127. & Bela II. cœcus nominatur; sceptro tamen regali, primùm anno 1132. potitus est, quô Ladislaus & Stephanus ejus filii, Duces Transilvaniæ imperabant. Rex erat à natura summis animi dotibus illustratus, pietati ac justitiæ cumprimis addictus. Borichum Colomanni naturalem, ut ajunt, filium, auxiliaribus Polonorum & Prussorum copiis prælio superavit, eumque interfecit, Tyrnaviam muro concludere occœpit, operi tanto immoritur anno 1191. & Albæ Regalis sepelitur. Reliquit ex Helena Uronis Macedoniæ Principis filios, Geysam, Ladislaum, Stephanum, & Almum, quorum tres primi Hungariæ Reges fuere.

LADISLAUS & STEPHANUS.

Sub Ducibus his Transilvaniæ, mortuo Patre Bela cœco, regale Hungariæ imperium delatum est fratri eorum Geysæ II. anno 1141. qui subsecente anno Saxones in Transilvaniam evocat, ut tam vastæ ditionis deserta hominibus repleat, quos magnis immunitatibus donatos, ad hæc usque sœcula stabilivit. A gestis feliciter præliis contra Henricum Margrafium Austriæ, item contra Bavaros & Saxones, nomen victiosi tulit. Regnum suum multis Deo erectis

rectis Templis illustrius reddidit. moritur
anno. 1161. & Albæ Regalis tumulatur.

BELA III.

Anno 1172. Bela Stephani Tertii ,
Hungariæ Regis frater , Geysæ II.
filius , Dux Transilvaniam regit.
Evoluto anno uno , fit Hungariæ Rex ,
Bela III. dictus. Regnum à latronibus
purgat , & restitutâ securitate publicâ ,
novas , eásque æquas leges condit , inde
Hungaricus Justinianus audit. Venetos
memorabili clade profligat , & anno 1174.
Uladamirum Haliciæ Regem , victor in
pugna cædit , Haliciam seu Galiciam ,
minoris Russiæ regionem , & huic finiti-
mam Lodomeriam Hungariæ adjicit. Re-
xit annis XXIII. & superstitibus filiis E-
merico & Andrea , supremum diem Al-
bæ obiit , ubi & humatus est.

ANDREAS.

BElam Patrem , in Ducatu Transil-
vaniæ excepit Andreas , qui ra-
tus se ad imperandum solummodo
natum , multorum enim suffragiis Rex
postulabatur , adversus Emericum natu-
majorem , Hungariæ Regem bellum ge-
rit ; sed Emericus ne cognati sangvi-

nis proditor esset , quum utrinque ad funestum prælium , fratrum instructæ acies constitissent , positis armis stipatorum manu sacram Coronam , sceptrumque gestans , medias inter pugnaturas acies digressus , armatæ litis inermis arbitter , Majestate & appositâ oratione unus Togatus , integrum implevit exercitum , & continuo bellum dissolvit , datâ omnibus ac Fratri venia , quem anno MCCI . universa Hungaria emortuo Ladislao III . Emerici filio , Regem coronavit , qui cum Babyloniorum Sultanum in terra sancta prælio superasset , Hierosolymitani cognomen adeptus est . Hungaricam nobilitatem sublatâ ejus conditionariâ servitute , maximis privilegiis stabilivit , super quæ universi Reges , tempore corona tionis jurare consueverunt . Conditus est in Cœnobio Egres appellato .

COLOMANNUS.

Evesti ad Hungariæ Solium Andrea præmemoratò , Colomannus quoque ejus filius & Belæ IV. frater , clavum Transilvaniæ capessivit : Eodem anno Joannicius sive Calo , Bulgarorum Princeps , ex Valachorum progenie , qui se Rumenos appellant , ortum trahens , misso ad Innocentium III. supplici codicillo ,

cillo, post biennium à Pontificio legato Rex coronatur. Hæc pro gloria Valachorum, agrum Transilvanicum excolentium, citra salivam tamen; nam Latinae Ecclesiæ amplius obfuit Calo, quam præfuturus sperabatur.

Anno MCCVII. Colomannus ductâ Solomeâ Lesci Albi sorore, dotis nomine, à Cracoviensi Antistite in Regem Haliciæ ungitur, atque ut credibile est, quod nonnulli adnotant, relictâ Transilvaniâ, in Regno sibi subiecto, Sclavorum genti imperare præelegit. Sed neque in bello Tartarico, 1241. interiit, ut multi tradunt; nam trepidantibus Belâ Rege, hujus nominis IV. & Friderico Austriæ Duce, rem ipse optimè gessit, & in sequente anno in Sclavonia, ubi demum sedem fixerat, piè mundo excessit, conditus in Cosmensi Alceterio Dominicanorum.

BERTHOLDUS.

Successit Colomanno Bertholdus, quem nonnulli Vajvodam nominant, in Ducatu Transilvanico circa annum 1208. Erat frater Reginæ Gertrudis, consortis Andreæ II. Hungariae Regis, præterea Archi-Præsul Coloczæ. Fertur ultra annum 1249. vixisse, atque in Patriar-

triarchatu Aquilejensi terras cœlo com-
mutasse.

CHAK SIVE CSAK.

Anno 1225. Chák Pousæ sive Pous filius, cuius Avus dictus est Boti, Ducatum Transilvaniæ regit: hic in diplomate Belæ IV legitur Chák, Pater nobilissimæ Familiæ Csákianæ, Magister Tavernicorum, à quo Chaktornya condita. Sunt qui Csakianum genus antiquius esse, atque à Regibus ortum ducere velint: vide Sigismundum Ferrarium de Hungaria parte 2. libro 1. scribentem de Beato Mauritio Csákio Anno 1237. Ennyedinum in Transilvania erigitur, simûisque plenus Solis defectus biennio post totam terret Europam, mox Comes Transilvaniæ ac Hungariæ impendet, venturarum verus prænuncius calamitatum. Circa irruptionem Tartarorum in Transilvaniam, toto ferè septennio desolatam, & Chronica, & multi RR. hallucinantur; hanc enim ante subjugationem Hungariæ, quam integro ferè triennio possederunt, non nisi anno 1238. contingisse oportuit; cum Rex Bela IV. primùm anno 1241. juxta fluvium Sájo à Tartaris superatus sit, in quo prælio flos gentis succisus, Rege ad maritimas Dalmatiæ

matiæ oras cum residuis Spalatum profusiente , ut Archidiacon. c. 39. malorum spectator denarrat; tum verò recedentibus Tartaris anno 1244. Rex Bela , auxiliaribus Frangepanium Rhodiorumque Equitum stipatus copiis , in squalentem Hungariam revertit : & quia sementem facere , ne Transilvanorum quidem agri eo anno poterant ; eam ob causam tam dira fames has ditiones proximo anno incessit , ut plures multò fame , quam ferro ac vinculis Tartarorum interierint.

SIEPHANUS.

FOEDA Tartarorum immanitate confusam Transilvaniam , & in publica adhuc clade mœrentem , Stephanus , filius Belæ IV. Dux adiit , atque in hoc apice , calamitatum verius , quam honorum locatus , anno 1260. minorem Regem Hungariæ se scribit ; tum verò magnâ sui fiduciâ , aucto novis delectibus vastatore exercitu , in Moraviam trajicit , quem quaqua gradiebatur , nulla magis quam spoliorum tubâ accendebat. Ottocarus Boëmiae Rex , haud segnis armorum tractator , Stephano ad Krestenprun , vicum Marcomannorum occurrit , & atroci orto conflictu , sauciatum profligat. Post hæc , ut commu-

nis fert opinio, Stephanus impositâ suo capiti Sacrâ Coronâ, reclamante Patre, totius Hungariæ imperium affectat. Anno insequente autem 1262. stabilitâ inter Patrem & filium concordiâ, titulum junioris Regis Hungariæ ac Transilvaniæ Ducis retinet, & lapsò quinquennio Belæ Patri succedit. Dictus Stephanus V. Atque in hoc, Ducatus Transilvaniæ defecisse videtur, & ad Coronam Hungariæ rediisse; nulla siquidem amplius ficit mentio in Annalibus, Ducum Transilvaniæ. Porrò ex Historia anni 1273. ferè ultra annum MCCC. colligitur: Severinensi Banatui, & partibus Valachiae, Nobiliores Transilvanos, sicuti & finitimorum Comitatuum supremos Comites à Regibus Hungariæ præfici solitos fuisse.

§ III.

Vajvodæ Transilvaniæ
Ab Anno Christi MCCC.

LADISLAUS.

ANNO MCCC. Transilvani sub Ladislao Vajvoda, erat hic filius Stephani V. Regis Hungariæ, & Nepos Belæ quarti, Fogarassimum cingere inchoant. Otho Bavariæ Dux, Albae Re-

bæ Regalis sceptro & Coronâ Hungariae
 decoratus , anno 1307. Transilvaniam
 invisit , à Ladislao Provinciae Vajvoda ,
 haud citra dolum , crudelissimò fortunæ
 lusu , Rex servili modò captus , & in
 vincula ligatus traducitur ; tandemque
 in has leges dimissus : *Regiae potestati re-*
nunciaret , & Regno se abiturum , neque
reversurum , juramento caveret. Otho à
 superbo hoste , ut libertatem Regni pre-
 tiō nundinaretur , amarâ contemplatione
 in calamitatum suarum memoria defixus ,
 pactis subscriptis , & per Poloniam anno
 1308. domum vacuus abiit ; tam nefariis
 fatis præluserat dirum omen ; nam sacram
 Regni Coronam , Othonis Cubicularius
 tornatae pyxidi inclusam , & ex equestri
 sella pendulam , solutò lorò in itinere
 Transilvaniensi inscius amiserat : posterâ
 tamen luce , non sine prodigo eandem
 reperit. Interea Purpuratus Papæ lega-
 tus Ladislao , anathema palam denunci-
 at , ob coronam Othoni ereptam , quam
 ut restitueret , nullis hactenus modis in-
 duci poterat ; sed neque ad Comitia Re-
 gni , pro Carolo , Caroli Mertelli Regis
 Siciliæ filio coronando in Regem Hun-
 gariae comparet ; Sacrâ Coronâ tamen
 1310. Carolo restitutâ , ejus demum par-
 tibus Vajvoda accessit.

Thomas

THOMAS.

Circa annum 1322. Thomas Vajvoda Transilvaniam gubernat; ejus iniquo svasu Carolus Rex, coacto in Transilvania exercitu, in Valachos castra movit, anno 1330. Hoc consilium pene evertit Regem, qui fato suo impedit; nam à Bazarado alioqui fideli Hungarisi, Transalpinensium Valachorum Vajvoda, cui pacem flagitanti, Rex infrā quam decebat, palam denunciari jussit: promissâ se Valachum barbâ è ferali ergastulo extracturum, teto. ferè cum exercitu Thomas cæditur, mutato Rex habitu, fugâ elapsus, vix vitam servavit. Nicolaus Albæ Juliæ Præfus, innumerique Proceres ac Nobiles, defixis in capite clavis, immaniter laniati, funestâ morte periēre. Hoc ævo Cibiniensis Camera floruit. Thomas post infelicem pugnam, dimissâ Præfecturâ, Regia castra fecutus, atque anno 1350. labem in Vajvodatu contractam, ob iniquum Bazarado bellum illatum detersit; nam Nicolao Kontho in Italia, ad Castellum Francum, Regiis copiis à Ludovico suffectus, multa cum Venetis prælia prosperè commisit, & ad Brentam fluvium, magnam Italicæ exercitus partem armis exuit.

ANDREAS.

Ludovicus Rex, Caroli filius, per actis anno 1342. coronationis solemnibus, habito militum delectu, in Transilvaniam, ubi Andreas Ladislai Vajvodæ filius gubernabat, exercitum ducit, Saxonum ulturus contumaciam, qui Regia pendere vestigalia detrectabant. Captis plerisque oppidis, Saxones suæ insolentiaz pertæsi, ad obsequium redeunt. Eodem tempore Alexander Bazaradus, qui à Carolo Rege defeccerat, Ludovicum supplex adit, veniam exorat, munera ampla offert, & in clientelam recipitur. Tertio abhinc anno, Tartari Transilvaniam, & cum primis Siculos Valachis finitos, ferociter infestant. Andreas qui Provinciam cum imperio tenebat, vir bello strenuus, centuriatis mox copiis, continuò adversus immanem hostem profectus, conflictum init, vincit, ipsumque Athlamum Tartarorum Ducem intercipit, direptis castris hostilia signa, & captivorum multitudinem Vissegradum ad Regem deduci curat. Celebratur Victoria, & Deo vindici gratiæ triduo solvuntur. Andreas profligato Tartarorum examine, eorum reliquias, Siculorum virtute, in Transalpinis

pinis sæpius victor invasit, & ad Ponti oram penitus removit. Et hæc Andreæ meritorum pars fœcundissima fuit, quæ ei mox gloriam accumulavit, cum publico diplomate, à Ludovico Rege Magister Equitum & Apuliæ Præfectus declaratur. Et quoniam operosi foret, ac supervacanei prorsus laboris, longâ serie percensere, quæ Italico bello gessit, gloria propemodum & magnifica omnia; sed pluribus communia, & Regis Ludovici propria; idcirco domestica subjicio: nam anno 1350. Andreas fit rursus Transilvaniæ Vajvoda, mox cum Transilvanicis copiis, Casimiro Regi Poloniæ, adversus Tartaros fert suppeditas, quibus præterocem hostem profligat, & capto Keystuto Tartarorum Duce, spoliis opulentus, in Patriam remeat.

STEPHANUS.

Anno 1347. regit Transilvaniam Stephanus, itidem Ladislai Vajvodæ filius, qui cum Ludovico Rege, supremus exercitūs ductor, in Apuliam inovit; Ludovicus enim Andreæ Fratris sui necem, serid ulcisci decrevit, quem tertio post initum Regnum anno, cognatorum factione, qui regiam potestatem ambiebant, & consen-

tiente Reginâ Joannâ, Aversæ sericeo laqueo facinorosissimè necatum, cuncti scriptores tradunt; dispositis itaque Siciliæ rebus, post biennium in Hungariam Ludovicus revertit; relicto nihilominus summa cum potestate in Siciliæ Præfectura Stephano Transilvaniæ Vajvodâ, viro experientiâ rei militatis, & animi fortitudine præpollente, qui Joannæ Reginæ factionibus suscitatas seditiones feliciter sedavit, conjuratos graviter mulctavit, dissipatōque Neapolitanorum exercitu, Ludovici quoque Tarrentini, ac Joannæ copias, statario prælio ferè ad interencionem delevit. Hanc Stephani fortitudinem, Ludovicus Rex, ut data privilegia testantur, magnis honoribus, Apuliæ némpe Præfecturâ, titulōque Ducis Croatiæ: multis denique donationibus, adhæc castellorum Dravum inter & Savum sitorum perpetuâ traditione condecoravit.

NICOLAUS KONT.

Stephano in Vaivodatu Transilvanico, anno 1351. Nicolaus Kontus succedit, qui pari virtute ac prudentia, Ludovico in expugnandis Apuliæ Urbi bus deservivit. Fit postea Regni Hungariae Palatinus, & Abbatiam Csatkensem

sem construit anno 1361. moritur hujus seculi anno 67. Post Nicolaum rursus Andreas Pronepos Belæ quarti Transilvaniæ præfuit.

NICOLAUS.

Hic Nicolaus inter Transilvaniæ Vajvodas, à plerisque Chronologis refertur, in bello Transalpino, sub Ludovico Rege, protritis Valachis, vicit in interiorem Provinciam penetrat; sed irruentibus è jugis montium hostibus sylvas inter & alpium anfractus, telorum Saxorumve nimbo confectus, cum plerisque Nobilibus miserrimè occubuit.

DIONYSIUS.

Hunc Szentivanius eruditus scriptor & quidem credibilius, in serie Vajvodarum collocat, quem recentior quidam, ad annum 1402. solum Siculorum Comitem, sub nomine Dionysii de Marczal, semet legisse afferit; at qui olim Transilvaniæ Chronicam Enyedini vulgavit, Dionysium Vajvodam recognoscit.

STEPHANUS CHAKI.

Dionysium excepit Stephanus Chakius, qui circa annum 1372. ad fastigium Transilvaniæ deductus, in ea

in ea adhuc è ferro compacta ætate verfabatur, quâ vitiô seculi, silentibus per Daciam calamis, sola barbaries & framearum vires præpotuere; illud unicum ephemerides Monasteriorum, tanquam æditui veritatis fatentur, Stephanum anno 1376. Abbatiam Chaktornensem Di-væ Helenæ instituisse.

LADISLAUS.

LAdislaus Comes de Szolnok, quæ gesserit, aut quæ sub ejus præfatura acta sint, non facile enarraveris; nisi quod eadem rudis & impexa ætas, gloriæ ejus instrumenta projecevit, quæ vitam redonassent fatis functo, sedid ad clavum Transilvaniæ anno 1384.

STEPHANUS.

STephanus Laczkovichius, sive filius Laczk, Vajvoda Transilvaniæ, vir copiosus & inclytis majoribus ortus prosperâ abusus fortunâ, ultra sortem clientis proferebat dominationem, & haud obscurè minuendæ Regiæ potentiaz, clam arma & exercitum moliebatur. Perspexit Rex Sigismundus, pessimas mali ingenii artes, quas ut amoliretur, anno 1395. indicto Körös Uđvarhelliensi conventu, quo Stephanus cum magna equitum manu, partim suorum viribus, partim

partim Regis clementiâ fretus , adven-
 rat : jussu Regis cum complicibus inter-
 imitur . Equites audita Vajvodæ sui mor-
 te , ut eam ulciscerentur , mox arma cor-
 ripiunt , concilii Aulam circumveniunt ,
 jāmque cruenta pugna instabat , nisi ob-
 truncatum Stephani cadaver , è fenestra
 continuò in forum deturbatum fuisset ,
 vóxque edita à quodam *Quò cœci ruitis ?*
extinctus est , in cuius gratiam arma strin-
gitis . Mementote Hungaros esse , qui cœ-
derentur , & Hungaros , qui cœderent . Ca-
vete adversus imperium Regis dimicare ! Nec
 mōra : defervuit hac oratione furor equi-
 tum , timoréque perculti , exemplò se-
 dati sunt . Stephano præter alia scele-
 ra conjurationis in Regem , illud etiam
 attributum , quod post Nicopolitanam
 cladem , variis artibus Turcam evocave-
 rit , ad labefactandas Sigismundi vires ;
 undè inter Dravum & Savum magna Hun-
 gariæ appendicibus vastatio illata : tum
 quid Regem suum Sigismundum capti-
 vare ac vincere attentaverit , factionisque
 Ladislajanæ Regis Apuliæ author fuerit ;
 hanc Stephanus adeò nobilium accessio-
 ne auxerat , ut conjuratorum posteri ad
 rusticitatem redacti , etiamnum Majorum
 errata luant ; nemo enim è potioribus
 conju-

conjuratis impunitate donatus. Vulgariter deinde decretō , Sigismundus s. Octobris Transilvanos ad fidem revocat , promissa oblivione omnium contra se actorum.

JOANNES & JACOBUS.

Sunt , qui geminos hos memoratos Vajvadas , ad annum 1405. signarunt ; Stephani obtruncati flagitio id tribuendum , quod Præfectura Transilvaniæ , non uni , sed duobus sit concredita.

STIBORIUS.

Ad annum Christi 1409. de Vajvada hoc , Timonius ita habet : Regit Transilvaniam Stiborius de Stiborich , totius quoque Vagi Dominus , fundat Præposituram Vág- Ujheliensem Canonis Regularibus Idem subinde in popinam & ventrem prolapsus , magnis commessionibus subditorum vectigalia exforbet ; nam filii sui nuptias in unum annum protractit , ad fastidium vel voracissimum ac bibacissimum . In gratiam sui Morionis , ædificat ad Vagum arcem Beczko , cui nomen Bolondvár adhæsit . Tantum.

STEPHANUS de Lofoncz.

IN Transalpinis, quum Valachi excusso obsequio saepè rebellassent: bini horum Principes, Daan & Marches, imperium Valachiæ adfectabant; & quoniam Daan, semet viribus inferiorem cerneret, præcipiti consilio tractus, ad Turcarum opem confugit: Merches, ne fœdæ gentis armorum mole Valachiâ ejiceretur, Sigismundi Regis potentiam imploravit; missus itaque à Rege Lofoncius, qui Transilvaniam cum imperio, anno 1415. sortitus erat, magnâ fiduciâ Daan hosti occurrit, & quanquam numero impar, haudquaquam aleam detrectavit; postero itaque die, cruento utrinque marte dimicatum, atque in medio ardore pugnæ, dum Stephanus equo sublimis, nudum pectus gloriæ objiceret, inclinatis suorum ordinibus, lethali vulnere confosius, suam saluti Patriæ, & Regis fidei, vitam consignavit. Cadente Duce, mox tota cæsa est acies, & paucissimi è tanta clade fugâ evaserunt.

Bonfinius fol. 398. Decadis tertiaræ libro tertio, grande prodigium memorat, de humana Calvaria in campis, ubi strages edita erat, quæ Sacerdotem à prætereruntibus, sibi adduci postulabat, quod accersi-

tersitō , ac Christiano peractā Exomologesi ritu expiata , conquevit . Anno postea 1428. Sigismundus bellum Turcis faceſſit , ſuccesſu ſibi propitio , trajecto ſubindē Danubio , ſe in Transilvaniam recipit , ac anno inſequente , mortuo Daan Valachiæ Præfecto , cum Transilvanis Transalpinam pacaturus ingreditur .

LADISLAUS Comes de CHĀK.

Credibile eſt , ætate Ladislai , quā is Transilvaniam moderabatur , ruſticos tumultuari , rémque Transilvanicā ſurſum deorsum vertere cœpiffe ; nam Ladislaūm anno 1435. Vajvodam hujus Provinciæ reperio : tum verò biennio pōſt antefignano Antonio quodam , Kiſs Antal dicto , horribile latrociniū exortum ; hic enim coacta ingēti agrestium manu , ſub ſpecie exuendæ ſervitatis , à Regia fide detecit , mox in agros infuſus , ipsa Templa , Religionis monumenta , & obſiſtentem ſibi Nobilitatem , ferro & igni exſcindebat : id iplum Martinus vir agrestis ausus , ſub nōvo libertatis prætextū , quadrato rusticorum agmine , longè latéque ad Samoskōzium graſſatus , funefam oppidis , viciſ , & Nobilitati calamitatē intulit ; ſed ſinguli , ſingulis præliis à Provinciæ Præfecto La-

dislao profligati , cæsisque seditionis authoribus , ex agresti multitudine , alii oculis , pars magna naribus , auriculis , alii labiis , nonnulli præcisis manibus multati , pœnas luere , ut nempe , sceleris sui cicatricem posteris ad exemplum circumferrent .

JOANNES MATHISI.

ACtum est inter arma , Musas quæ rere , quæ Joannis acta posteritati consignassent . Unicus Szentivanius eum Vajvodis Transilvaniæ post proximè relatum Ladislaum adnumerat .

JOANNES HUNIADES , ALIIS CORVINUS

UT ut in turbulentam inciderit Rem publicam , nihil tamen in fastis Europæ , hoc immensæ dexteritatis Heroë felicius : nihil cujuslibet cunque fortunæ Domino , glorioius Joanne reperies . Is enim in tot regnum spe ctatus theatris , & Regum æquavit bella , & gloriam superavit . Non Rex ille quidem , sed Regibus illustrior , ac supra omne mortale robur , Christianæ Fortitudinis prodigium . Est , qui eum Vallachorum gloriam dixit , sed verius Transilvanorum audit ; nam ut Bonfinius tradit , è Transalpinis oris à Sigismundo Rege in Transilvaniam translatus , & ob rem

bene gestam in Italia Huniadicis prædiis donatus, Transilvaniam incoluit, castellum Hunyad erexit, quod totum illum agrum, ab irruptionibus vindicaret. Mortuo Sigismundo, neglectis Reginæ Elisabethæ partibus, Uladislao Lithuaniae Duci, & Regis Poloniæ fratri, ad Hungaricam Coronam evocato accessit. Mox anno 1441. Croatas in partes Regis attrahit, quos prius cum Duce eorum Ladislao Gara profligaverat, ob quod, ex Severinensi Bano ab Uladislao Rege, Transilvaniæ Vajvoda, cum Nicolao Ujlakio creator; quâ Præfecturâ adauctus, agglomerantibus se Joanni Proceribus, uno veluti impetu, in prædatores Transilvaniæ, ad Villam Sancti Emerici irruit, & post atrox prælium, cæsis Turcarum viginti millibus, ablatis spoliis Albam rediit.

Anno 1442. gliscentibus in Hungaria dissidiis, Amurathes Belgradum obsidione cingit; sed post septem mensium opugnationem, fortitudine Corvini, inde repellitur, cæsis Turcarum triginta millibus, in Servitutem autem abductis quinque millibus. Memorabile est illud, quod Bonfinius de hac palmari victoria nihil referat, Ragusinum quippe suum,

ob Albam hanc Græcam strenuè defensam, amplius extollere, & Corvino eum ambitiosè præferre voluit. Eodem anno Joannes Vajvoda Mezitem Bassam, qui Transilvaniam ferro & igni vastaverat, in pugna cum filio interficit, currum spoliis, capitib[us]que hostium oneratum, Regi submittit, è manubiis Templa in Transilvania statuit. Turcarum cæsa sunt vinti millia, ex Hungaris tria prope milia desiderata. Virtus Corvina per Europam deprædicatur. Inde ad novas decerpendas progressus palmas, Sciabadium alterum barbarorum Præfectum, octuaginta millia secum ducentem, ad Vaskapum mediâ parte exercitus deletâ, castris exuit. Christiani immensâ ditati prædâ, varia trophæa in victoriæ monumentum ad Vaskapum erigunt, Corvinus triumphans Budam abit, & Uladislao Regi hostilia signa, exuviarum item partem, quæ Hero sit digna, offert.

Anno 1443. Joanni Corvino filius Matthias, Claudiopoli 14. Februarii nascitur. Uladislaus Sophiam Urbem diripit, Corvinus cum decem equitum millibus, transito flumine Morava, triginta Turcarum millia unâ nocte concidit, quatuor millia capit, & cum opulentissimis castris,

stris hosti ablatis, ad Regem cum plau-
su sibi obviam procedentem revertit.
Post eam victoriam, Bulgarica oppida se
dedunt, subinde commeatus inopiâ ex-
ercitus laborat, quem Corvinus ad ferti-
liora loca invitat, & Uladislai auspiciis
ad Thraciæ & Macedoniæ fines deducit,
ubi Carambum Asiæ Prætorem semet ado-
rientem capit, & grandi clade ejus co-
pias afficit.

Anno 1444. Celebratur Optimatum
Hungariæ congressus, in Turcas expedi-
tio decernitur, tota bellici apparatus cu-
ra Vajvodæ Transilvano delegatur. A-
murathes plurium armorum motibus se
imparem fore videns, per Despotem clam
de concordia cum Hungaris incunda agit,
qui re Corvino expositâ, atque ab hoc
in Senatum relatâ, celerrimè nullâ habi-
tâ memoriâ fœderis, quod antea Hunga-
ri cum Imperatore Orientis pepigerant,
propè Szegedinum, mense Junio, in
decennium cum Turca pacem sanciunt.
Turcæ cùm digressi essent, metûque so-
luti in Græciam grassantur, & Orientis
Imperatorem extra Solium propemodum
urgent. Venit interim à Francisco Car-
dinali, qui Hellesponti littora insederat,
missus Imperatoris nomine nuncius, lit-

teras exhibet, memoriam antiqui fœderis refricat, quod novo rescindi, sīne Sacrilegio non possit, cunctos commonet. Vix recitatæ sunt litteræ, universum mox Senatum perjurii sui pœnituit. Julianus Cardinalis ita pudore suffusos, ad abrogandum ocyùs impium fœdus facilem impulit. Nec dissentire visus est Transilvanus, cui Uladislaus, si victoria futura sit, Bulgariae regnum diplomate spondit. At verò Barbarus, quanquam non servato die, pactiones adimplet, & quadraginta aureūm millia pro captivo Carambo Joanni Vajvodæ persolvit; Uladislaus autem quasi animo æger, & malo eventu præsagus, fœdus, si ita tamen nominandum sit, abrumpit, cui Amurathes exemplò occurrit, fit prælium ad Varnam atrox, & primùm quidem marte Hungaris secundo; Corvinus enim jam prætorianos Amurathis trucidabat, & victoriam confecerat, si livor & invidia procul à castris excessissent. Nam qui Regis latus tutabantur, ne Corvinus solus vinceret, impetu magis, quam è militari disciplina, cum Rege in hostem effusi, mox loco pulsi & dissipati, dedere terga, & quam Corvino præceptum ibant palmam victoriae, hosti detulere. Eâ quip-

Eâ quippe apertâ Regiorum fugâ, reliquus exterritus exercitus, mox solutis ordinibus eandem corripuit. Turcis præda ingens cessit. Rex cum multis Episcopis & Baronibus in ea clade ad Pontum periit. Decimus is dies, ac ater, Mensa Novembri illuxit. Julianus Cardinalis inter fugiendum à latronibus trucidatus est. Corvinus post conclamatam victoriā plures servare cupiens, ægrè evasit. Caput Regis hastæ infixum, per Græciam atque Asiam, diu gestatum est Epitaphium ejus hoc legitur:

Romulidae Cannas, ego Varnam clade notavi,
Discere mortales, non temerare fidem.
Me nisi Pontifices jussissent rumpere fœdus,
Non ferret Scythicum Pannonis ora jugum.

Sed recentioris ingenii hic partus est, multumque à vero recedit; cum à cædē Uladislai, Hungaria ab Asiatico Tyranno, minimè subacta fuerit: imò sub Mathia Corvino latè floruerit. Sed neque fœdus ullum ruptum est; icta siquidem jam antea fuere fœdera cum Latinis & Græcis in Turcam, ergo nova cum Turcis iniri, aut inita servari, sìne scelere non poterant. Sed materiam hanc alienam à Nostra longius exponendam aliis relinquisimus.

Anno 1445. Joannes Corvinus Pestinum
I 5

num comitia cogit , in iis Regni Gubernator statuitur; Ladislaus autem Adalberti filius Rex agnoscitur. Corvinus à Dracula Vajvoda Valachiæ , nuper in fuga moram passus , ob læsum hospitii jus , hostiliter ejus Provinciam adoritur , & Draculam cum filio natu majore , capite minuit. Anno insequente , Austriam , Styriam & Carinthiam populatur , ut à Friderico Imp. Ladislaum Regem & Coronam extorqueat. Idem anno 1448. in campo merularum , Rasciæ & Bulgariæ finibus , proditione Georgii Despotis Mysiaæ , post trium dierum pugnam , ab Amurathe clade afficitur ; cæsa sunt in hoc prælio Christianorum octo millia : Turcarum quatuor & triginta millia. In fuga retinetur à præfato Despote , neque dimittitur , nisi dato obside Ladislao filio natu majore. Eam Corvinus proximo anno ulturus injuriam , Despotis terras populatur , quem cunctis , quas in Hungaria habuit , possessionibus privat. Recepto subinde filio obside , supplicem sibi Despotem in clientelam recipit. Inde Frigibegum ab instauratione arcis Chersonensis arcet , & memorabili clade eum loco exturbat: Budinum Bulgariæ civitatem capit , expilatamque incendit.

Anno

Anno 1451. Corvinus in obsidione valli, propter Fanum Divi Stephani, haud procuī à Losonczio, quod Giscra Bohemus latro erexerat, proditione quorundam castris exiit; verū novis subitō collectis copiis, iisque fidelioribus, plurima Giscræ loca eripit, & ad faciendam pacem, hominem alias felicem & pugnacem cogit. Inde in auxilium Rasciæ contra Amurathem festinat, cæsisque ejus copiis, victor in Hungariam revertitur.

Annis subsequentibus Fridericum Imp. Neostadii in Austria obsidet, & demum Ladislauum electum ab Hungaris Regem, Alberti posthumum extorquet: tum vero Gubernatoris officio cedit; sed à Ladislao Rege, reliquo in perpetuum Gubernatoris titulo, in suo magistratu stabilitur: adhac Bistriciensis Comes (est Civitas Transilvaniæ) creatus, novis gentilitiis insignibus decoratur. Erat ea tempestate, in Corviniana manu summa Reip ac universa Hungariæ potestas, Regales arcæs, ærarium, Praesidia & Exercitus omnisi: nec plus quidem fortunæ domi, quam foris accesserat invidiæ. Quippe Ulricus Ciliæ Comes, qui ejus locum occupare avebat, ausus est facinus, omni scelere

scelere probrosius; gravissimis enim criminibus Corvinum Regi falsò incusârat, Rex admodum juvenis, facili persuasus negotio, Ulrico cuncta credit, atque ut vi, aut insidiis è medio tollatur, subscribit. Ex composito igitur Regiis litteris, Gubernator primum Viennam, mox ad Hungariæ confinia evocatur; sed ab iis, quos miseratio tanti viri subiit, proditio-nis admonitus, ut fusè ennarrat Bonfi-nius, postquam bis sapienter insidias ca-vit, ægrè tertium, & non nisi divinitus servatus evasit. Non parum deinde pu-duit piguítque Ladislaum, dolo se malo, fortissimum Regni conservatorem, Cilia-no consilio petiisse; primum tamen ne-gotium erat, ut res hæc, Regem inter-ac Corvinum, moderatissimum hostium juxta ac sui Domitorem, missis ultro ci-tróque nonnullis Optimatibus, scitè com-poneretur.

Anno 1454. Ladislaus Rex, si Turca Hungariam adoriatur, universum Regnum arma capere jubet, Corvinum omnibus copiis præficit: biennio post Mahometes 12ma Junii cum 150. armatorum millibus Albam Græcam obsidet, cujus spe potiundi pene conflagrârat; cùm anno 1453 captâ Constantinopoli, & imperfecto Im-perato-

peratore , Palæologo Constantino ex
 Helena genito , post eversum Orientis
 imperium , nihil ultra sibi fore invictum
 ariolaretur. Nicolaus Pontifex Maximus
 quum Pannoniis admodum Mysiisque ti-
 meret , expeditiones Cruciatæ , per or-
 bis meliorem partem nunciavit , & sacrae
 militiæ professos , integra delictorum o-
 nnium impunitate donavit. At Rex La-
 dislaus & Ciliæ Comes ejus Avunculus ,
 audito Turcarum adventu , usque adeò
 exterriti , ut unius noctis silentio Budâ
 Viennam profugerint. Interea Corvinus
 ut laboranti Regno succurreret , arma
 corripit , & adjunctis suo exercitui 40.
 millibus Cruce signatorum , quos B. Jo-
 annes Capistranus sub Calixto , Nicolai
 successore , secundò Danubiò deduxerat ,
 Albanam arcem versùs , instructâ classe ,
 terrestribusque copiis defensâ festinat .
 Mahometes his occurrere ausus , colla-
 tis in vasto amne signis , cùm dira se cæ-
 de utrinque disjicerent , Corvinus præ-
 toriâ navi occupatâ , Turcarum classem
 inclinat , quâ latè cæsâ & fugatâ , Albam
 ingreditur , eam armis & commeatu com-
 pleat , animosque obsessorum instaurat .
 At Turca , deturbatis dudum propugna-
 culis , urbem in occasu solis adoritur ,

& quan-

& quanquam s^epius ab oppidanis sit reje^ctus, instaurato tamen rursum cuneo, in civitatem irrumpit, forum penetrat, & stragem latius edit, quam recipit. Intam s^eva dati haustique sanguinis profusione, Corvinus urbis periculum conspiciatus, ab arce in forum irruens, mediisque infusus hosti, ob^sistentes barbarorum cuneos gladio diducit, ac removet: mox pugna supra murorum ruinas, dira nimis & cruenta conseritur, sub pectore sauciatur Mahometes, cæduntur cuncti Turcarum Proceres, & post 24. horarum atrox & inauditum prælium, Joannes vincit, ac captis omnibus bellicis machinis, urbem 46. diebus pressam, ob^sidione solvit. Cæsa feruntur 40. millia Mahometanorum. Calixtus III. in memoriam partæ victoriæ, festum Dominicæ Transfigurationis, ad sextum Augusti diem instituit, quod Turca ab urbe depulsus est. Sed Joannes Corvinus, nimio labore fractus, ex lethali febri decimo Septembris, Semlynii pie vitâ perfunctus ingentem animam, cœlo maturam, Datori suo reddidit: in morte non minus quam vita, Gubernator omnium ac sui.

EMERICUS BELLUSI.

Emericus Vajvoda, eâ tempestate Transilvaniæ præerat, quâ Joannes Huniades Hungariæ Regnum gubernârat Hunc Bonfinius ad annum 1448 refert, & Pelusiensem vocat. Cum Huniade adversus Amurathem, continuato trium dierum prælio strenuè quidem depugnavit, ad extreūum autem, ab innumerabili barbarorum multitudine, incinto Christianorum exercitu, in campo merulæ interiit.

NICOLAUS UJLAK.

Nicolaus Makoviensis primùm & Sclavoniæ Banus, alto genere natus, Corvinæ virtutis & gloriæ summus æmulator, collega in Vajvadatu Transilvaniæ Corvino datus, in Corvinianis expeditionibus, strenuus commilito, plerumque feliciter pugnavit; sed vivis erepto Corvino, suam fœde gloriam attaminavit, quia haud inscius fuisse scribitur, insidiarum Corvini filiis Budæ apparatarum, & quod scelus cumulat, Cæsareis factionibus implicitus, Friderici maluit, quâm Mathiæ Regis adolescentis imperium subire. Postlimino, cùm Mathias Nicolai ambitum, promissâ Bosnensis Regni coronâ explesset,

ad Re-

ad Regiam fidem rediit. Acta sunt hæc anno 1459. Sexennio post Colocensem ac Varadinensem Antistites, cæterosque Regni Proceres, cum tribus Equitum millibus in Austriam deducit, quibus Sacrum Diadema, 60000. aureum redemptum extraditur.

MICHAEL SZILAGYIUS.

Michaël magnanimus heros, togæ militiæque artibus insigniter instructus, Corvini Avunculus, cùm ob res fortiter gestas, maximè ad Albam Græcam contra Mahometem pugnans, toto Regno inclaruisset, Transilvaniam Joanne Corvino humanis erexit, gubernat. Anno 1457. ad Regni Comitia, viginti armatorum millibus stipatus, in campum Rakos ponè Pesthi suburbana descendit: promulgata edicto suo Comitiorum libertate, pro Mathiæ electione appositi perorat, & ex Decreto Patrum, electo in Regem Mathiâ, annorum 17. Adolescentे, Regni Gubernator ad quinquennium pronunciatur. Mox Ladislai Corvini, qui ob cædem Ciliae Comitis, Budæ à Ladislao Posthumo capitis damnatus, cadaver Albam Transilvaniæ transfert, prope Parentis monumentum condit. Quoniam verò

thias Corvinus, adhuc carcere Bohemico detinebatur, cum Podiebradio agit, ut Mathiae liberationem pretio transfigat, quem Hungari sexagies mille aureum nummis redemere. æternæ id cedat Transilvanorum gloriæ, quorum Nobilis civis, tanti emptus, ut Regnis imperet. Porro quæ Mathias Rex, Joannis Corvini, Vajvodæ Transilvani filius, memora randa gesserit, longum foret iis insistere, utpote à præsenti materia alienis; nonnulla tamen, quæ ad ennaranda Vajvodarum Transilvaniæ gesta faciunt, nos succingere sparsim, præsens historia jubar.

Incanuerat jam sub tabernaculis Michaël, annosque plurimos, per omnia illibatus discrimina integer exegerat: ac cum varia Regi bella ingruerent, Rex Michaëli vajvodæ ac Gubernatori Hungariæ, expeditionem in Turcas desert, quo novo Ducis titulo adauctus, haud diu tanto apici insistere licuit; æmulorum enim invidia, summa licet integritate esset prædictus, affectatæ Tyrannidis insimulatur, & à Rege male persuaso in vincula conjicitur: jamque eo sceleris fata Michaëlis, improborum libidine impulsa sunt, ut Regio diploma-

te mors ejus statuta, Præfectis Custodiæ submissa sit. Cùm itaque frustra fuissent naturæ, frustra sanguinis jura, astu sui Coci, quæ ejus fuit fidelitas, in libertatem afferitur; nam is cum conservis improvisum Turcarum incursum commentus, ex arce Turcas adesse clamitans, séque in arma furere simulans, tum verò egressis è Castello credulis præsidiariis, à tergo portam obstruit, & cæsis quibusdam, qui in Arce remanserant, Michaëlem fracto carcere educit, qui subinde reversos præsidiarios, ac illicè rejectos abire cogit. Mox accitis amicis ac suis legionibus, imposito arcii præsidio, non ad ulciscendam Nepotis injuriam; sed ad vindicandas à Turcarum incursu, inferioris Hungariæ oras animum intendit: Regi postmodum reconciliatur, Halibechum trajecto Savo ad Futakum usque incursantem, cædit, captivorum turbam liberat, spoliis occupatis, Regem usque Agriam sequitur.

Anno deinde 1463. cùm Mathias occupatam à Turcis Bosniam recuperat, Jayczámque Regni caput acri obsidione vincit, ac septem suprà viginti oppida recipit, Michaël solita fortitudine regias

gias palmas dilatabat anno inseguente, ad Bozazin impar hosti, Turcis occurrit, & cum audacter manum conserit, capitur Byzantium abductus, Imperatoris jussu, capitis supplicium Christianus pugil fortissime subit. Nega lector, si potes, illam vitæ humanæ glorioissimam esse scenam, quæ cum æterno piau-
su, non fabulam, sed historiam absolvat. Rex Avunculi mortem, cunctique Ordines deplorarunt.

JOANNES PONGRACZ.

Nonnullis Pancratius dictus, Matiæ Regis cognatus, cuius cum meritis haud modicè debebat Rex, Transilvaniæ præfecturâ remunera-
tus est, idque circa annum 1461 nam ob frequens ac multiplex bellum, cre-
bram quoque Vajvodarum mutationem,
haud eluctari nobis ex hac temporum
confusione licuit, ut hoc loco, & pau-
lum infra, æram, nisi fortè divinando
proferamus: hanc enim neque patrii an-
nales commemorant. Certum id, sub
Pongraczio Halibechum Mysiae Præfe-
ctum, clandestino incursu Transilvaniam
invasisse, & magnâ cæde ac incendio pa-
tratis, impune evasisse: cùmque suum
rursus Turca astum repeteret, Pongra-

cium validâ Siculorum manu , jussu Mathiæ , ad Temesvarum , præferoci hosti occurrisse , quô utcunque cæso , fugitivum ad Danubium usque infecutus , memorabili clade confecit . Tum verò proficiscentem Regem in Transalpinos , Pongraczius comitatur , ubi Mathias Draculam Bladi fratrem , à Turca Provinciae præpositum , præter omnium opinionem approbat ; Bladum verò , qui ad se con fugerat , ob inauditam in propinquos etiam , exercitam crudelitatem , decennali Budæ servatum custodiâ domat : restitutus deinde pristinæ dignitati , Turcico bello periit , ejus caput ad Mahometem delatum , oculos barbari exhilaravit . Fuit autem Bladus inauditæ crudelitatis portentum , trux omnino ac ferox Vlachus , qui in omni vita efferum quidam ac inhumanum habuit ; multis enim cognatorum , ac etiam Turcarum , palo suffixis , inter eos lautè discubuisse : mendicos innumeros convivio excepisse , deinde injecto igne cremâsse : Turcarum legatis , ex patriæ instituto , caput nudare recusantibus , confirmandi moris gratia , tres capiti clavos infigi jusisse : multis elixatis aut etiam excoriatis , sale membra præfricuisse , mox lingentes salsis plan-

plantis capras adhibuisse, quæ lingvæ a-
speritate cruciatum augerent. At Pon-
graczius relictâ Transilvaniâ, viðtricia Re-
gis signa multis annis circumtulit, & rur-
sum Vajvoda Transilvaniæ præpositus Præ-
fecturam quietis cupidine exuit, Regiam
secutus Senator aulam, tandemque cir-
ca annum 1476. humanis excessit.

JOANNES è Comitibus S. Georgii.

JOANNES, frater Sigismundi Reguli, cui cognomen Comitis de Sancto Ge-
orgio & Bózin, nobilissima ortus
Prosapia, opibus, agris, oppidis,
clientelis ac cognationibus planè præcel-
lenti, cùm Friderici partes ambo seque-
rentur, Mathias utrumque Imperatori ab-
straxit, Sigismundum enim superioris
Hungariæ præfecturâ sibi conciliavit, Jo-
anni Transilvaniam cum Imperio promisit,
quam postliminio, summa cum laude mo-
derabatur, anno 1466. Transilvani regi
tributô nimium pressi, coriphæo sedicio-
nis Benedicto Vðress, obedientiam Regi
subtrahunt, vexillum ad impium bellum
extollunt, Joannem Vajvodam vel invi-
tuin, Regem jubent salutantque. Mathi-
as auditâ defectione in Provinciam pro-
ficietur, Joannes Regi supplex occur-
rit, & veniam exorat: pacatâ Provincia,

Joannem præfecturâ amovit , suffectis collegis Sigismundo fratre Joannis , & Bertholdo Elderbachio de Monyorokrék . Mox Tordam indicit conventum , in quo rebelles perpetuo multat exilio , mite judicium omnes probarunt ; sed multos ignavia , ac Regis lenitas planè sesellit : quippe cum conniventem in his Regem sperant , magis opinione suâ severum deprehendêre . Cibinium enim cùm venisset , sibi continuâ nunciatum est , ibi nonnullos ex his necdum in exilium abiisse , quibus perduellionis dies fuerat indicatus . Hi itaque comprehensi , & in foro urbis securi obtruncati sunt : horum præcipui memorantur , Petrus Gerch , Michaël Suki , Joannes Cherich , & urbis Prætor , nam Benedictus Vôress malum author , in Poloniā se surripuit , ibique vitam exegit .

SIGISMUNDUS , & BERTHOLDUS ELDERBACHIUS .

Sigismundus Comes de Sancto Georgio & Bózin , frater proximè filii joannis , in Pesthanis Comitiis , cùm Szilagyius Vajvoda Transilvaniae , furcas & laniariam mensam proposuisset , mortem interminando recusantibus Mathiae suffragia reddere , ob violatam suffragiorum

rum libertatem, ad Fridericum Imp. defecit, illustremque victoriam de Regiis copiis reportavit: subinde reconciliatus Mathiæ, & superioris Hungariæ Præfecturâ donatus, cæso Friderici, fugatōque exercitu, opulentis potitus castris, toto Regno inclaruit, atque à Mathia, Transilvaniæ Vajvoda nominari meruit Provinciam tamen, ut regeret, intrasse non legitur.

Bertholdus Elderbachius de Monyoro-kerék, ad annum 1467 collega Sigismundi, & Transilvaniæ Vajvoda, Mathiæ cum primis charus, Regius Dapifer, ætate vigens, claris natalibus, & ad grandia bella natus. Hunc Bonfinius Bertholdum nominat, Turcis Erdeli audit, sed melius *Erdöd*: Bakacsianæ Stirpis ab Erdöd dictæ Fundator, & à multiplici barbaris illata strage Heros apprimè notatus. Iisdem diebus in Moldaviam, cui Stephanus Vajvoda præerat, Mathias è Transylvania movit, ut gladio mactaret perfidiam: Bertholdus acer militiae, anteire Regem & agmina, locum castris capere, ac si res posceret, manu hostibus obniti; Rex Foro Romano exusto, apud Civitatem Baniam à Valachis noctu circumdatus, pro vita potius, quam dignita-

gnitate pugnandum ratus, irruenti hosti
 occurrit, mox utrinque tanto impetu,
 inter tela & incendia exoritur prælum,
 ut nil infestius agi videretur: rejecto sub-
 inde ab urbe rebelli hoste, victoriâ Rex
 potitus, ad interencionem exegit pœnas:
 in universum septem Valachorum millia
 cæsa, ex Regiis mille ducenti desidera-
 ti; & quia vulnere gravabatur Mathias,
 Brassoviam digressus, rebelles causam di-
 cere jussos, ultore gladio percutit: mali
 authores Michaëlem Székely, Aladarium,
 & Nicolaum Viszakna Claudiopoli per
 medium fori vexere carnifex, & canden-
 tibus forcipibus frustillatim discerptos ob-
 truncarunt. Supplici Stephano Molda-
 viæ Vajvodæ, gratia à Rege facta est,
 nè dum multos sustulisset malos, pessi-
 mum omnium, amplius irritaret. Rex
Claudiopolim redux suum visitat natale
 folum, ubi cùm multa de insimulato ma-
 gistratu accepisset, ejus iniquitatem ex-
 periri statuit; rustico itaque subornatus
 amictu, mercenarium in cædendis lignis
 agit, exactis operis, cùm ad urbis por-
 tam personatus Rex inhumanè increpitus,
 & mediâ cum reliquis sociis mercede
 fraudatus esset; justo incensus zelo, ca-
 pitale de prævaricatoribus, ac eorum
 collu-

collusoribus , quos inter urbis Prætor deprehensus , summi jussit supplicium. Inde Hungariam repetit , novis Provinciæ suffectis Præpositis ; nam Bertholdum , miræ fortitudinis Heroëm , à latere suo nunquam abesse voluit.

Ab hoc itinere , Bertholdus in Austria-
cam expeditionem , sequi Regem jussus ,
captâ Neapoli Austriæ , triumpho Ma-
thiæ adfuit , & Corvinas late victorias
propagavit. Labentibus annis , inter
primos Regni Proceres , gloriâ & meri-
tis inclytus , ad excipiendum Vladislauum
II. Bohœmiæ Regem , ad florentissimum
Imperium evocatum , meruit legatus de-
cerni , & beneficentiâ novi Regis ad
mortem usque perfaci , quam ut in bellis
omnibus , ita in proœcta ætate habuit
constantem. Heros hic Nobilissimæ Erdö-
dianæ Familiæ vetustatem commendat.

NICOLAUS CSUPOR.

Nicolaus moldavico bello , ex re-
bus à se fortiter gestis , cùm ve-
hementer sibi famam conciliasset ,
Mathiæ Regis jussu , Vajvoda Transilva-
niæ salutatur anno 1468. Mox ad Boë-
micum bellum proficiscentem Regem co-
mitatur , in quo Moravia & Silesia Mathiæ
imperio subiecta traditur. Anno 1471.

Orator Re ius à Mathia declaratur, & numero Nobilium comitatu stipatus, legationem obit Cuthnam ad Comitia Bohæmiæ, quibus Rex eligendus erat; sed palam ab hæreticis 1epulâ Mathiæ data, qui ex irrita spe in iram actus, incursi-
nibus & incendiis Bohæmiæ vastat, Casimîrum Poloniæ Regem ex Hungaria fu-
gat, Regisque Bohæmorum titulum ac-
quirit. Et quia Poloni in Hungariæ &
Poloniæ confiniis præsidia duo statuerant
unde latius sua latrocinia exercerent,
Rex perdomandis latronibus Nicolaum
Regii exercitūs Ducem deligit, qui pri-
mùm prospere fuisse, ac captis aliquot Po-
lonorum cohortibus, cum castellum Nagy-
Mihaly, arctius obsessum premit, ab ad-
versa parte emisso à crepitante machina
saxo, colliditur. Hunc miserabilem o-
ptimi Duci casum, Rex ac Optimates
admodum luxere, & expugnato præsi-
dio, universus exercitus publico injecit
glebas funeri. Acta sunt hæc anno 473.
Triennio post, occupato nuptiarum so-
lemnissime, Turca in Transilvaniam ir-
ruit, & evastata in latum Provincia, 40.
millia hominum in servitutem abigit.

JOANNES & NICOLAUS BATHOREI.

HOs Szentivanus Vajvodarum Transilvaniæ catalogo inseruit, non quidem collegas, sed alternatim in Præfecturasibi succedentes. Non facile dixeris, quæ egerint; cùm negligentia Majorum, à iectione, aut si manvis à spectaculo rerum à se gestarum, omnem posteritatem excluserit: illud fortasse alterutri glriosum, quod iis annis Stephanus Valachiaæ & Moldaviaæ Vajvoda, Hungariaæ cliens, adscitis in Societatem beili Transilvanis, ac plurimis Siculis, de centum viginti Turcarum millibus, captis quatuor Ducibus, & ut spondanus refert, ereptis 36. militaribus signis triumphaverit. De Manubiis, Papæ, Hungariaæ & Poloniaæ Regibus, dona missa sunt.

STEPHANUS BATHORI.

ANNO 1478 Stephanus Bathor, filius itidem Stephani Bathor Regalis Curiæ Judicis, qui ad Varnam in prælio cum Uladislao I. occubuerat, à Mathia I. Vajvoda Transilvaniæ præficitur. Vir non minus spectatæ fidei virtutisque, ac à perpetua Virginitate

cate conspicuus : fortitudinis suæ non pauca specimina, in Boëmica expeditio-
ne edidit; Dux enim Regiis signis præ-
erat, altrices sceleratorum arces, præ-
donum receptacula, Sárum, Ujvár,
Bichne, Scepusium, Kesmarkum, uno
quasi impetu aut vi, aut deditione re-
cepit. Anno insequente, cum Paulo
Kinisio Temesvari Præfecto, omni ævo
memorabilem, in campo Kenyér mező,
viginti quinque passuum millibus ab Alba
Gyula nunc Carolina dissito, de centum
millibus Turcarum, & quinque Passis
victoriam reportavit. In hac pugna ex
Hungarib[us] octo millia desiderata sunt, duo
item Saxonum ac Valachorum Marusio-
hausta; Barbarorum sexaginta milia inter-
fecta esse dicuntur, quin & per acclivia-
montium passim cadavera spectabantur:
Captivorum multa millia in libertatem
asserta, miles ingenti præda ditatus, cùm
ingruente nocte in castra redire non po-
terat, super hostium cadavera stratis-
mensis edit, bibit, tripudiat. Indè ad
obsidendum Nicopolim Transalpinam di-
gressus, quid efficerit, haud constat: do-
mitis subindè hac parte Turcis, & pac-
â Transilvaniâ, peregrina foris arma &
pugnas eligit; & habuit, quæ adferret.
ad bel-

ad bellum Austriacum , incredibili fortitudini par consilium , & utrique sufficietram manum & fortunam . Meditanti Matthiae ultionem in Fridericum Imp. rotatus à Rege sententiam dicere , pro pace differuit Rex , quem ulciscendarum ardor injuriarum urebat , cùm adversus Ottomanos parato exercitu iter summeret , violatis repente à Friderico induciis , arma in opulentam Austriam convertit ; occupatâ Provinciâ , subactâ Viennâ , cùm Mathias capto Neostadio Triumphum duceret , Stephanus in palmata veste Triumphator Regem percolere , in publico sequi , & cæteros cum Bertholdo Ederbachio anteire Proceres visus & laudatus est . Anno deinde 1490 ut mortalium res sunt labiles , emorientem è profluvio capitis , inter indicia pœnitentiæ , Mathiam Hungariæ Regem , præsens Vien næ deploravit , eidémque justa Albæ Julianæ persolvit .

Eodem anno habitis Budæ Patrum comitiis , Bohœmiæ Rege Vladislao II. Casimiri Poloni fratre , in Principem Hungariæ pronunciato , Stephanus Vajvoda cum primis Regni Optimatibus , adducendi Regis provinciam nactus , gemmato habitu modestissimè obviam venit , salutavit ,

Iutavit , subinde in ejus inauguratione ,
 Sceptrum Regale prætulit , quâ peractâ ,
 Magistratum Curiæ adeptus , cum orna-
 tissimis , novi Regis pompam , Transil-
 vanicæ Nobilitatis cohortibus adauxit :
 hanc sequebantur exculti ter mille equi-
 tes , tergis ferarum & ingentibus telis
 horrentes : post hos totidem millia pe-
 ditum , puta Siculos , pervetus Jassorum ,
 sive Philisthæorum genus , nullo hacce-
 nus peregrino sangvine inquinatum , pa-
 ri prisorum Scytharum severitate , mo-
 ribus , & libertate præditum ; hi venabu-
 lo pro hasta , ense , arcu & pharetra u-
 tuntur , linteo pectus thorace muniunt ,
 præ duro victu naturæ satisfaciunt : in
 bello asperimi , domi servitutis impati-
 entes , & nullo labore domiti : his supre-
 mus Comes , Stephanus Vajvoda præe-
 rat , summis à Rege Præfecturis ornatus :
 apicem gloriæ , ac fortitudinis tum verò
 concendit , quando ab Uladislao Dux
 Regii exercitus constitutus , 40 armato-
 rum milibus imperavit , & Albam Rega-
 lem eadem celeritate , quâ Maximilianus
 Cæsar superiore anno ademerat , vi ad
 ditionem compulit . Cum ætatem par-
 tim in Aulis Regum , partim sub papilio-
 nibus exegisset , tantis togæ militiæque
 artibus

artibus nomini suo , ingens illud extraxit fastigium , quo joannis Huniadis vestigia assecutus , recenti Turcarum in Europa imperio , tremendus incumbebat ad annum usque 1493 quod postquam pie vivere desiit , ac ævi pariter , quo vixit , sui , ac tot post se sæculorum memoriam reliquit . Errant , qui eum operâ Thomæ Bakacsii , tum custodis Sacrae Coronæ , à Præfectura Transilvaniæ submotum esse tradunt ; nam ante obitum honores abdicavit : ita Bonfinius , & Istvanius . Sepultus est teste Petro de Reva , in Cœnobio oppidi Bathor , quod ipse ex spoliis Turcarum , in Transilvania devictorum condiderat . Cœnobio à Valachis subinde diruto , translatum est corpus (ut hodie fama fert incorruptum) in magnificientiorem ædem , ab Andrea Bathorio erectam , hoc epitaphio marmori inciso :

Qui Curios vitâ , vicit probitate Catones ,
Et verâ æquavit Relligione Numam
Nam coluit verum præsca pietate Tonantem ,
Et nunquam domuit fœda libido virum .
Hic capit Alpinos , Moldavos , protegit idem ,
Sangvine Silvanos contegit ipse suo .
Egregius Stephanus sævos qui peccore Turcos
Prostravit toties , hac requiecit humo .
At Vos ò Bathorum gens , nunc lugete Parentem ,
Nam Bathorum cecidit firma columna Domis .

ANTONIUS SARMASAGI.

Credibile est, Antonium eà tempore
state Transilvanis præpositum, quā
Bathorio bellis districto, necessum
erat prospicere Provinciæ, non tam de
Vajvoda quā fortassis de Pro-Præfecto;
cūm acta ejus, quæ ad historiam faciant,
ne unus ex Scriptoribus porrigat: & an-
nus illius præfecturæ in annos Bathorii
incurrat. Hunc Szentivanius ad annum
1486. Vajvodarum Catalogo inscripsit.

LADISLAUS LOSSONTIUS de
Lelesz &

BARTHOLOMÆUS DRAGFI.

Ab Uladislao II. hi duo 1493 Vaj-
vodæ, intestinis nobilium discor-
diis discissæ Transilvaniæ dati,
cūm mutuâ sui æmulatione, factionibus
vires potius addere, quā subtrahere
conniterentur, haud modicè salus popu-
li periculum adiit. Anno insequente,
Alibegus, Sinderoviæ Præfectus, vali-
dis stipatus copiis, Transilvaniæ fines po-
pulatur; sed à tumultuaria Siculorum
manu redux profligatur, & ingenti præ-
dâ, quinque diebus coactâ exuitur. Eo-
dem anno Uladislaus II. in Daciam par-
tium studiis scissam festinat; nam & bini
Vajvo-

Vajvodæ, ut diverso inter se erant inge-
nio, sic diversam in jure dicundo ratio-
nem secuti, & veteres alebant factiones,
& novas excitabant: quibus detrimentis
ut mederetur Rex, Ladislao ad Magistri
Curiæ honores evecto, solum Bartholo-
mæum gubernare Provinciam jubet: qui
mox Sicarios latronesque comprehendit,
multis eorum in palos attractis, ac len-
to igne exustis, intestinum malum re-
pressit. Rex sexaginta millia aureorum
à Transilvanis exigit, justum deinde ex-
ercitum comparat, ac cum Vajvoda Bar-
tholomæo Temesvarum contendit; inde
ad ulciscendas injurias, Sinderovienses
in Bulgaria Turcarum agroſ, 15 dierum
spatio, per centum milia passuum ferro
ignique vastat. Exercitum ingenti prædâ
locupletatum in Hungariam reducit: cu-
jus imperium Dragfius obtinet, qui sus-
cepta expeditione, adversus Laurenti-
um, Ducem Sirmii, rebellem Regi, ca-
ptis ejus arcibus Villaco & Caposvarino,
Ducem ad pænitentiam impulit. Dragfi-
um hunc Istvanius Bertholdum nominat.
Anno 1496. Vajvodæ Moldavo, quod in
clientelam denuò rediisset, arx Csicsovi-
ensis, cum possessionibus ad eam perti-
nentibus in Transilvania, à Rege dono
datur.

PETRUS è Comitibus de S. George & Bozin.

Petrus, opibus ac originis vetustate, primos inter Regni Proceres illustrier, certantibus Provinciarum studiis, ab Uladislao II. magnis honoribus, Daciae nempe Praefecturâ, Judicis Curiæ & Siculorum Comitis titulo donatus, anno 1504. Interest comitiis in campum Rakos ad Pesthum à Rege indicatis, in quibus, ut Istvanius narrat, acriter disputatum est à Patribus de Moravia, Silesia, & Lusatia, quas à Mathia Rege ex Sacro Sancta Romani Pontificis authoritate, & armis Imperio Hungarico acquisitas, Bohemiæ denuò adjungi ægerrimè ferebant Hungari; tam palmari exasperati injuriâ, in tabernaculum publico concilio destinatum confluunt, ibique collatis omnium suffragiis decernunt, ne imposterum, si rex Uladislaus absque hærede masculo decederet, alienæ gentis Regem sibi deligendum proponerent, addita atroci pœnâ in legem delinquentibus. Hanc legem Thoma Bakacio Cardinali Strigonensi, atque aliis decem Episcopis, 40. Senatoribus, qui Magistris fungebantur, & centum octuaginta Proceribus, quam plurimisque ex equestrī or-

stri ordine præsentibus latam, Stephanus Werbōczius Regni Prætor, eloquens & factiosus vir, statim publicavit, & quidem Reip. conservandæ prætextu, ut ajebat, re autem, ut Joannis Zapoli Scepusiensis Comitis, dudum Regnum affectantis, ambitioni viam aperiret. Aderant hujus factionis asseclæ Transilvani, & imprimis Siculi ac Saxones, qui magno applausu sublatis clamoribus, legem promulgari instabant, si qui contra differerent, iis vim cædémque & extrema quæque inten-
tantes. Et tulit hanc injuriam Uladislau-
us, ac ad tam duram sententiam, durio-
ribus suffultam præsidiis obmutuit, me-
mor proverbii: omne initium servet, me-
dium tepet, finis alget.

Anno MDV. cùm Anna Reginā, pue-
rum Ludovicum Uladislao peperisset, Pu-
blicani à Rege constituti, recepto usu,
legibusque antiquis, à singulis domibus,
singulum bœvem pro Rege à Siculis exi-
gunt; sed horum pertinacia insignis fuit,
negantium se daturos, quod nullus ipso-
rum quicquam tale factum meminisset;
contrà Regii dicere: Sigismundo, Ladis-
lao utrique ac Mathiæ nulos fuisse filios;
nunc Deibenignitate Uladislaum masculo
hærede auctum, nolle veteri usui dero-

gatum Siculis in eadem obstinatione, quasi imunitates suas tuerentur, persisten-
tibus: Regii vim intentare, pecora ex
agris & stabulis abripere; denique ad ar-
ma ventum, & publicani, qui exactio-
nem pecoris vi exigebant, partim crude-
liter casi, partim Provinciam exacti, ad
Regem auxilia imploraturi confugere. Rex
igitur Paulo Tomoræo, qui equitum Præ-
fectus tunc Budæ erat, in mandatis dat,
ut cum pedestribus copiis, & quingento-
rum equitum Prætorianorum alâ, in Tran-
silvaniam celerrimè justis itineribus pro-
ficiatur; sed Siculi adventanti Tomoræo,
instructâ acie, animis verbisque feroces,
prope oppidum, quod Siculum forum vo-
cant, occurunt. Tomoræum profligatis
copiis, decem vulneribus saucium fugant,
ac tam prospero successu elati, in suas
fedes comessaturi victores repedant. In-
terea jussu Regis reparatus exercitus, Si-
culis magnâ clade illatâ Rex victos ac do-
mitos imperata facere coëgit.

Anno 1508. Radulo Valachiæ Vajvoda,
clientelæ declarandæ causa Budam pro-
fectus, militares equos Regio more in-
stratos, ac asturcones optimi generis, a-
cinaces auro gemmisque coruscos &c.
Regi præsentat, à quo Aldiodo oppido in
Transilvania sito donatur.

LAU-

LAURENTIUS DUX de UJLAK.

ARduum sanè negotium visum est , Laurentium in chronologica Vajvodarum serie statuere : cùm patrii annales ejus Præfecturæ penitus non meminerint ; tum verò res ejus gestas , in eos annos retulerint , quibus aut alii Transilvaniæ præerant , aut ipse Regi rebellis , ad saniora in ordinem consilia armis redigendus compellebatur ; ut tamen duūm , qui manibus nostris obversantur , Scriptorum authoritati non adversemur , si aliquando Transilvaniæ præerat , his omnino annis , eum Dacis præfuisse est necesse ; cùm hic ante Joannem Zapólaī commodè veniat referendus .

Laurentius è potentissima Ujlakiorum Domo oriundus , Nicolai Bosnæ Regis filius , Syrmii & Bosnæ Dux , ac Temesvári Comes , Procerum Hungariæ ditissimus , Mathiæ Regi Corvino perquam charus ; præter ætatem adolescens adhuc in regali convivio , quō Mathias Uladislaum Bohemiæ Regem exceperat , Architriclinus constitutus , paterno exultus balteo gemmis & lapidibus ornato , ac 60. aurēum millibus æstimato , cùm hac & illac festinans , munerì suo intentus , à Polonis Proceribus insolentiùs interturbaretur ,

irâ succensus, alapam uni incussum, ob-
erto tumultu, cognitâque causâ à Regi-
bus, sui facti laudem tulit. Mortuo de-
indè Mathiâ, languentes Joannis Corvini
partes, facta secessione ab Uladislao, jam
Hungariæ quoque Rege, instauravit; sed
nec unquam induci potuit, ut grati viri
officio, erga Joannem, Mathiæ natura-
lem filium deficeret. Atque ut molles
sunt mortalium animi, audentius onera-
bat Uladislaum, inertiam, otium, spes
ejus: nè convicio quidem abstinens; nam
cùm Uladislaus Rex, Albæ Regalis soli
Pannonici ubertatem degustans, ad Bo-
hemos dixisset: *Bone Deus, quam pinguis*
est culina Hungarica, quam hic omnia sunt
expedita, quam omnia vili veneunt! mox
per triclinium Mathiæ commeans, cùm
pro foribus conspecto ejus ad vivum ef-
ficto vultu, diceret: *Verè bonus hic fuit*
Pastor: multas oves & pingues, nobis reli-
quit Rex fortissimus. Ferunt Laurentium
Ducem Ungarica verba, admirationem
Regis ridendo, subjecisse: *Mathiam fuisse*
Marcum, non Lucam Quibus signifi-
cabat, non eum ignavum bovem, sed
Leone promptiorem fuisse. His Rex non
intellectis, querit ex proximo, quid Dux
dixerit? interpres ut periculum à Duce
averteret.

averteret, laudat Majestatem vestram in-
 quit, meliorem eam, vel certe non fore
 deteriorem. Quæ tamen & plurimæ alia,
 cùm Regi exposita essent: adhæc quām
 perfidè colludat Turcis, quibus permisso
 transitu, vastatis inferioris Hungariæ par-
 tibus, se reum fecisset: sed sæpe etiam
 in jus vocatus, ob patratorum facinorum
 conscientiam, Regis semper imperium
 detrectarit; idcirco ut Rex de repetita
 toties pervicacia pœnas sumeret, eum
 anno 1495. bello & armis enervandum
 decrevit, sæpiusque cæsum ac victum,
 ad implorandam veniam compulit; sed
 leni ut erat animo, Duci suis arcibus ex-
 uto, gratiam imploranti, id solùm re-
 nunciavit: bovem illum, quem Albæ
 Regalis per jocum appellâsset, jam gran-
 de unum habere cornu, alterum modò
 enatum, in dies crescere; proinde spe-
 rare se, brevi suos hostes gemino cornu
 prostraturum. Laurentius cùm Regi ob-
 luctari non posset, jāmque uno amplius
 anno, exspectatæ Clementiæ spe lusus
 ac fractus, demum faventium sibi impen-
 se Procerum studiis, quorum opem im-
 plorabat, Regis gratiam, Municipia ac
 Dignitatem pristinam recepit, convivio-
 que adhibitus, datâ Regi dexterâ, do-
 nec vi-

nec vixit, fidem adimplevit, & Transilvaniæ Vajvoda à Rege nominari meruit. Anno deinde 1518. cum Francisco de Varda Præfule Transilvaniæ, in posteriori Conventu Budensi, sub Ludovico Rege habitu, Regios inter Consiliarios relatus, ac ob valetudinem & affectam ætatem, Missis Castris, Regis Aulam secutus, extrema à Turcis detrimenta accepit; Solimanno enim Hungariam latè populationibus evastante, Balibegus ferro & flamma, Syrmensem tractum, Laurentii ditionem dirè deformatam prope delevit. Anno demum 1522. morbis & ætate confessus, nullo hærede relicto, è vita migravit, amplis illius possessiōnibus in Fiscum redactis.

PARTIS TERTIÆ F I N I S.



INDIA

180

Lat

87° 11° 18°

